



HIERONYMI Balbi Episcopi Gurcensis, ad Carolum. V. Impe. de Coronatione.

Ampliss. P. L. Card. S. Quatuor, Leander Albertus Terræ Sanctæ Prouincialis. S.

t Vo iussu Ampliss. P. ac ex animi mei sentẽtia Hieronymi Balbi Antistitis Gurceñ. uiri undecunq; literatiss, libellũ ad Carolum V. Imperatorẽ de Coronatione perlegi: qui dum triplici Corona Cæsaris caput adnititur cingere, non minori laudis gloria ipse redimendus est, quã olim in Olympiaco certamine uictores coronabãtur. Quã belle est uidere in hoc Opusculo multiuaga eruditione referto, acriq; ĩgenio elucubrato, Balbum nostrum: at non Balbe, sed diserte, sed terse loquentem: ut lectorem oblectet, capiat, atque teneat, tam dicendi lepore, q̃ sententiarum grauitate. Porro actioni uerba quadrant: et uerbis sensus, et sensui, uerbis, ac actioni, omnia correspondent. Multis quidem peruestigatio, ac rerum cognitio data est: sed sensuum explicatio, paucis. Verum utrunq; in Balbo nostro inuenies: atq; utinã eius cætera opera in lucẽ prodeant, ut eruditionem simul, et uoluptatẽ ex earum lectione capere ualeamus. Hoc ampliss. pater tibi significandũ duxi, ut meũ quãtulũcũq; est de hoc Opusculo pro Coronatione Cæsaris ædito iudicium, afferrẽ, quod omnibus eruditis (modo absit inuidia) probatum iri existimo. Vale ampliss. pater, Leandri tibi deditissimi memor. Ex Aedibus diui Dominici. xv. Kl. Martii. M. D. XXX.

Index rerum, quæ continentur in hoc de Coronatione Libro.

HIERONYMI BALBI EPISCOPI Gurcensis ad Carolum. V. Imperatorem semper Augustum in Librum de Coronatione, Præfatio.



Mnium, qui uel in ciuili negocio, uel in ueri perspicientia uersantur, una est stabilis, fixaque sententia, nihil magno, et excellēti principi, neque charius, neque antiquius esse debere, quā rerum a se gestarum, et suæ uirtutis gloriam in omnem memoriam propagare. Quid enim est magis Principis, quam omni studio sequi, amplexarique uirtutem? at laus nihil aliud est, quam ea significatio, per quam amplitudo, magnitudoque uirtutis declaratur. Nec satis perfectus, omni ue numero sapiens ille est habendus, qui, licet præclaris actionibus delectetur, sinit tamen eas in obscuro delitescere, et tanquam talentum (quod Euangelica lege prohibetur) in terram defodit. Nam si mens Principis quicquid agit, meditaturue, debet ad diuinæ mentis speciem referre (quam Plato Ideam uocat) et illa uelle, et cupere: quæ diuinarū rerum præseferunt imaginem: qui gloriam illam diuinam concupiscit, nec hāc quidem humanam contemnere debet: quæ rerum præclare gestarum

est uel præmium, uel testimonium. Quod si ulli unquam ex omnibus mortalibus, tibi uni maxime ea laus debetur, quam nulla simulatio effingat. Sed sincerus animus exprimat, ueritas suggerat, pietas effundat. In quo adhuc iuuene (mirum dictu) eiusmodi Imperatoriæ uirtutes ellucent, quas uix longo confecti senio, Neruæque, Traiani, Antonini, et cæteri, quos uetus memoria commendat, nancisci potuerunt. Quid tuam referam magnanimitatem? quid inuictum animi robur? quid tolerantiam? quid constantiam? quid rursus politicas illas uirtutes? sine quibus nullus unquam clarus Imperator euasit, iustitiam, prudentiam, mansuetudinem, clementiam, temperantiam, abstinentiam uoluptatum omnium. Tu unus ostendisti in præcoci uirtutum cursu ætatem non esse expectandam: qui (ut frequenti sermone usurpare soleo) uirtute prius ad imperiũ, q̃ annis maturuisti. Cum a prima usque adolescentia rebus in maximis fortiter, innocẽterq; uersatus, nihil unquam degenerans fœdum, turpe ue commiseris, nihilque quod non omni ex parte sit honestum, pulchrum, admirabile, aut agis, aut cogitas. Quod uero gesseris bella maxima, maximeque periculosa, quod exigua manu ingentes sæpe copias fuderis, quod de superatis, et domitis hostibus, egregios triumphos reportaris, hæc tibi cum quibusdam communia sunt.

Tam frequens autem Dei cultus , tam inconcussa relligio, tanta in subditos clementia , in familiares benignitas, in afflictos misericordia, iustitia in omnes, nescio an ulli unquam antiquorum contigerint . Adde illam , qua in primis excellis innatam, peculiarēque prudentiam, qua duce et auriga et agere, et obire omnia consuesti. Quis secundis minus intumuit ? quis aduersis magis erectus ? quis est repertus in utraq; fortuna præstantior ? in labore pertinacior, in remissione diligentior, et cautior ? Quod si Socraticus ille Xenophon iterum reuiuiscat Cyro Persarum Rege præterito; te unum sibi deliget , ad cuius exemplum perfecti Regis , atque omnibus numeris absoluti simulachrum effingat . quippe cum in te unum confluant omnia : quæ ille in suo Cyro non tam cernebat , quam optabat , utpote qui in eo celebrando ad uotum potius, quam historiam, orationem accommodarit . Quod tuus iste in Italiam aduentus maxime declarauit. ubi tria nulla posteritate obliteranda peregisti . Primo fama illa , quæ passim inualuerat , tuo iussu , atque Imperio, Vrbem Romam esse direptam , et ruinis deformatam, penitus est extincta : cum plane declaraueris, te nihil pluris facere , quam Sedis Apostolicæ decus , et dignitatem . Deinde cum

rumor increbuisset, te paratum aduenire: ut uni/uersam Italiam Martis ui,et armorum terrore com pleres,ultro pacē nō minus salutarem, quam in-speratam omnibus obtulisti, ardentissimasque bel lorum faces/ præter omnem omnium opinio-nem subito extinxisti, plus nimirum laudis ex Italia pacata, quam domita/et euicta reportatu-rus. Postremo si qui prius in te animo fuerant alie no/pietate/modestia,mãsuetudine: ita oēs ĩ tui ad mirationē attraxisti: ut te uelut numē de cœlo mis sum/nō minus colant,quã uereantur. Atque uti-nam tantum in me esset uel ingenii, uel eloquen-tiæ: ut hæc nō dico augere: sed uel satis digne at-tingere possem: ut si mea quantulacũq; industria tibi: et maioribus tuis aliquando usui fuit/hac ingrauescente ætate in tuorum laudum/ rerum que non minus sapienter quam fortiter: et for-tunate gestarum commemoratione acquiesce-rem. Hactenus tamen nihil neq; agendo, neque scribendo prætermisi: quod ad hominis tibi deditissimi,atque obsequentissimi officium perti-neret. Et hoc ipso tempore, quo una cum Cle-mēte. VII. Pōt. Max. qui nō minus re/ quam no-mine/Christi ueram/ et expressam refert imagi-nem/éa consulis/ et moliris: quæ ad Christia-nam Rempu. labantem,ac pene collapsam rursus erigendam, et in pristinam dignitatem uindi-candam maxime facere uideretur. Libellum quē-

dam exaraui , quo (ni fallor) quanta ſit Imperii dignitas/et maieſtas/ quantaq; tua in ſedem Apo- ſtolicam / et uniuerſam Italiam beneficentia/ſi non ornate , attamen dilucide declaraui . Tu munuſculum hoc / uelut meæ in te obſeruantiæ, et pietatis pignus / hilari et ſereno uultu accipies, et ſi minus eloquentiam approbabis , fidem certe/ integritatemq; non aſpernaberis.

Ampliss. Patri Garſiæ de Loayſa Epiſcopo Oxomeñ. et Cæſaris cõfeſſori,in librum de Coronatione Argumentum.

CVm te uiſendi / et ſalutandi cauſa nuper adiiſſem / uidereriſq; a maioribus curis ex peditus / inter nos ortus eſt ſermo de ea, quæ omnium in ore uerſatur , Coronatione , ſu- per qua cum multa ultro / citroq; cõmentaremur, Eo deducta eſt oratio : ut ex recentis memoriæ annalibus retulerim quatuor fuiſſe Cæſaris no- ſtri proauos : qui continuata ſerie in Imperium ſucceſſerunt . Quorum duo Sigiſmundus / et Fe dericus nihil antiquius habuere , quam Coronæ adipiſcendæ gratia Romam uſque magnis itine- ribus proficiſci . Duo uero reliqui Albertus ſcili- cet/ et Maximilianus: ſiue quod rem totam parui fecerint/ſiue quid aliud in cauſa fuerit / id munus neque appetere / neque oblatum ſuſcipere cura-

runt. Quibus a me narratis duo perconctatus es, unum an hæc ipsa Coronatio ad imperii iura capescenda, stabiliendaque aliquid afferat, alterum an his infularum solēnibus ita præfixus, et constistitutus sit locus, ut alibi quam Romæ fieri nequeat. Quemadmodum nec feriæ latinæ nisi in monte Albano, nec sacra Parasceues, nisi Hierosolimis celebrare fas erat. Ego cum ad utrunque explicandum me minus paratum uiderem: quod ea studia iampridem intermiserim, quæ nisi assiduo usu, exercitationeque alantur, e memoria prorsus euanescunt, in aliud tempus responsum distuli. Sicque a te discessi: ut mox in Bibliothecam diui Dominici me receperim: unde non prius sum egressus, quam euolutis grandibus quibusdam iuris Cæsarei, ac Pontificii uoluminibus, adhibitoque amplissimi patris. L. Cardinalis Sanctorum Quatuor, uiri ad omne officium expositi, et de Cæsaris nostri quam optime meriti consilio, atque iudicio. Hunc confecerim siue commentarium, siue farraginem, siue Centonem malueris appellare: in quo nihil penitus est meum, præter operam, quam narraui: ut ea, quæ carptim: et ut quisque liber in manus uenerat, celeri calamo exscripseram, in unum ueluti corpus effingerem, et totidem uerbis eadem ipsa redderem. Nam ut apud ueteres iuris

consultos, qui uel una syllaba a præscripta actionis formula cadebat, tota causa cadebat. Sic mihi cautum uolui, ne transuersa quidem linea in alienis scriptis afferendis, attestandisque aberrarem. Boni itaque consule, si qua forte hic uerba reperias, nec Latina Moneta percussa, nec Ciuitate donata. id enim feci non tam Latini sermonis inopia (licet et id quoque) quam ut sensus planior, explicatiorque reddatur. speroque fore: ut quantum mihi laudis adimet eloquentia neglecta, tantum gratiæ conciliet ueritas patefacta. Duo uero in causa sunt cur hanc paucarum horarum lucubratiunculam tuo nomini dedicarim, et quod a te hæc omnis disputatio est nata, et quod ubi colluctantium inter se iuris consultorum sententias recensui, ad diuũ Thomam, cui non minus pietate, quam sapientia proxime accedis, tanquam ad sacram Anchoram confugio. Quocirca tuo grauissimo iudicio, exactissimæque censuræ: cuius omnis doctrina ex uberrimis Diui Thomæ fontibus emanat: hoc quicquid est commentationis subiicio: ad quam explicandam, ut commodior mihi aditus detur, quædam de origine, et usu Coronarum paulo altius repetam.

De primo ortu/et inuentione Coronarum multipliciq; earum usu.

S Cribit Atheneus diligens antiquitatis indagator/a ueteribus coronam in honorem repertam ob capitis dignitatem. Quod in hoc initium sensuum/et principatus consistat/et ubi(si quid Platoni credimus)tanquam in humani corporis arce,eam animi uim/quæ mens/siue ratio dicitur/Natura collocauit. Sed liberum Patrem omnium primum capiti suo coronam ex hedera imposuisse, Author est Plinius,. Postmodum earum usus apud Græcos, Romanosq; fuit adeo frequens, ut et in sacrificiis/et uictoriis/et in sacris certaminibus adhiberentur/eoque progressa est ambitio: ut etiam in commessationibus et conuiuiis discumberent coronati. Dabãtur quoque honoris causa/et ab uniuerso exercitu imperatori,et uicissim ab ipso imparatore his/qui in acie egregio aliquo facinore claruerant nonnunquam et a senatu/populoque Romano. Vnde in libris Pontificiis/Cæsareisq; proditum est/quandoque coronam dari in signum imperii ut in.c. Venerabilẽ de elect.l.bene a Zenone.C. de quadri. prescri. quandoque in signum industriæ/et præmii militaris ut.i.dis.c.ius militare: quandoq; in signum spiritualis uictoriæ:ut de renun.c. nisi. Triplex autem earum genus a Theophrasto enumeratur ex

floribus odoriferis, ex floribus sine odore, ex arborum ramis, frõdibusq;. At Crassus cognométo diues quartũ adinuenit, q̃ primus Coronas argẽto, auroq; folia imitantibus suis ludis exhibuit: mox crescente luxu repertum eas ex solido auro conflare, interdum etiam gemmis, unionibusq; intertexere. Inditum uero est, cuiq; coronæ nomen ex eo usu, ad quem fuerat comparata, ut triumphalis, quæ triumphãti dabatur ex Lauro intertexta, quoniam ea arbor est lætitiæ, uictoriarumq; prænuncia. Obsidionalis, quã liberati ab obsidione liberatori porrigebant, facta ex gramine, inde sumpto unde obsessos seruasset. quippe, cum certissimum apud antiquos uictoriæ signum esset uictos uictori porrigere herbam terra euulsam. Ciuica quã ciuis ciui, a quo seruatus fuerat in prœlio testẽ uitæ, salutisque retentæ dabat, ex ilice, quercu ue conserta. Erant præterea Coronæ Ouales, erãt et Murales, et Castrenses, et Nauales, et si quæ aliæ. Sed nulla fuit nobilior, maiorisq; in maiestate populi Romani honoris, et gloriæ, quam graminea, Gemmatæ Aureæ, triumphales. Ciuicæ post hãc fuere, cæteras Imperatores dabant militibus, hæc ab uniuerso exercitu seruato seruatori suo offerebãt, interdũ et a senatu, populoq; Romano: ut Fabio maximio Annibale ab Italia pulso: deinde et Augusto, Iano clauso, pace, terra; mariq; parta. Nullus uero fuit uetustioribus sæculis Coronæ

regiæ usus/licet Tiara tam Reges/quam sacerdo-
tes Persarum uti cõsueuerint,et Mitra Meonii/ Sy
rii,Phrygii/ac Lydi, quam hodie Pontifices adhi
bere solent,cum rei diuinæ operantur.

Quæ fuerint olim Regũ insignia , et de institutione Coronandi Reges/Impera tores, atq; Põtifices.

i Nsignia Regum erant Sceptrum,in quo iu
risiurandi religio inerat , et sella cui alteri,
quã regi insidere capitale fuit : et trabea ue
stis auro/purpuraq; ĩtertexta. Quæ duo sũmus ue
tustatis obseruator uno uersu amplexus est Maro.
Et sellam regni/ trabeamq; insignia nostri.
qui illa quoq; superiora pari breuitate perstrinxit.
Sceptrumq;/Sacerq; Tiara.
Sed præ omnibus Diadema idest fascia linea et cã
dida/quæ regum capita cingebat inuentum(ut pu
to)quod Egypti/et Iudeæ reges inungi soliti tem
pora oleo delibuta linteolo uellarent: licet Plinius
referat Liberum Patrem primo Coronam laureã
fascia caudida illigasse. Legimus Alexandrũ quã
doq; sibi Diadema detraxisse:ut uulnus quod in
frõte cœperat,Lysimachus obligaret: quæ res por
tẽdit illi regnum quo mox Alexãdro uita functo
est potitus.quibus autem fluctibus et procellis re/
giũ nomen sit expositũ,Rex ille palam fecit , qui

Diadema manibus pertractans exclamuit. O nobilem potius quam felicem pãnum, sub quo quantum erumnarum lateat, si quis scierit ne humi quidem iacentẽ tollet. At Gn. Pompeio inuidiæ fuit, quod fascia crus obligatum haberet ulceris causa, quasi regni affectati indicium præferet, qđ Fauonius ei exprobrans, nihil inquit refert: qua parte Diadema geras. Nec aliud ut Reges Corona insigniantur initium fuisse puto, quã quod senatus, populusq; Romanus, aut Reges in amicitiam, societatemq; receptos: aut quos ex priuatis ad regale solium extulerant/aurea corona (uelut id esset amicitiæ, fœderisque pignus) donare consueuerant. Quapropter cum suum omne ius populus Romanus in principẽ transfuderit, ambigi solet, an oporteat reges ipsos/quo in sui quisque regni solio stabiliatur ab ipso Imperatore Corona donari, id quod glo. c. in sinodo. lxiii. distin. affirmare uidetur: licet in. c. in apibus. vii. q. i. et in. c. Venerabilem aliter senserit. Sed nec coronandi Põtificis consuetudo admodũ est uetusta. olim a clero, populoque Romano Pontifices electi (ubi intercesserat Imperatoris authoritas) Cathedræ diui Petri insidebant, nullis aliis cerimoniis adhibitis. Demum increbuit usus in hunc diem obseruatus ut simul, ac quis designatus est Pontifex inter missarum solemnia/ per præsulem Hostieñ. coronetur. Cæsarum quoque Coronatio

prioribus sæculis ignora fuit. Si quidem Oto ex Imperatoribus primus traditur a Ioanne. xii. Corona donatus accepto Germaniæ, Pannoniæq; titulo, quod reliqui Imperatores deinceps obseruarunt, translato tunc primum (ut quidam tradunt) ad Germanos Imperio: quãuis alii a Leone. viii. ut in. d. c. in synodo/alii a Gregorio quinto id factum autument, de quo mox plura.

Vnde ortum sit: ut Imperatores tribus Coronis coronẽtur: et an Imperium sit immediate a Deo, an uero a Pontifice.

m Ihi uero sacrorum uatum monumenta exactius perscrutanti/uideri solet non tã humano, quam diuino ab instituto Imperatotores Argentea/Aurea/ferreaq; Corona insigniendos esse, ad exẽplũ supremi terræ, cœlorũq; Regis Iesu Christi, quẽ sacræ designãt literæ his tribus Coronis ornatũ/argẽtea ut Zaccha. v. Sumes/ inqt/argentũ/et pones in capite Iesu: ferrea ut in lib. Regum sub imagine Zedechiæ, qui ferream sibi fabricauit Coronã/aurea ut in Apocalipsi. Vidi inquit supra nubẽ filium hominis habentẽ in capite suo Coronam auream. Nam fabulosum est illud; et sane perridiculum, quod interpretes cominiscuntur. C. de indictio. lib. x. tribus scilicet Coronis Imperatorem decorari, æmulatione populi Roma

ni, qui triplici lustro condendo primum auro, deinde argento, postremo ære honorabatur. Quidam hoc triplex insularum genus ad nescio quas allegorias et misteria referunt, atque aiunt Imperatorem primum argento coronari: ut intelligat se oportere esse purum, nullaque labe pollutum. Vnde et ueteres uocarunt argentum purum, putumq́, deinde ferro, quod significat tantum uirium ei inesse debere: ut in Longobardia (olim gallia Cisalpina) hostes deuincat, eiiciatq́, totã deniq́ Italiam ex infestissimorum tyrannorum manibus eripiat. l. in nomine Domini. ff. de offi. præfe. pre. affr. postremum Romæ auro insigniri: quia sicut aurum perfectissimum est, ac preciosissimum metallorum: ita Imperator in Vrbe Roma, quæ est Imperii caput supremum assequitur perfectionis gradum, nihilq́ ad eius sublimitatem addi posse uidetur. l. i. c. de offi. præs. augu. Cæterũ hæc tria Coronarum insignia uelut e cœlo esse delapsa hii potissimum affirmant: qui Romanum imperiũ putant a solo rerum omnium opifice, ac moderatore Deo emanasse, nec ulla ratione ad Põtifices esse referendum. Pro qua sententia pugnant fere omnes Cæsarei iuris interprætes, quorum sunt uelut antesignani, Bal. l. i. c. de sum. tri. Bar. l. i. ff. de requi. re. et Alb. d. l. bene a Zenone, et idem Bar. in extra. ad reprimendũ. Muniũt se præsidio auctẽtici quomo. oper. epi. col. i. et aut. de fide inst. col. vi. ubi de

claratur Deum de cœlo Imperium constituisse, ut difficilibus legem imponat. In eisdem quoq; sub-
seliis uersantur pleriq;,quos pro contraria factione stare putes,et præsertim Innoc. Papa, quo nemo sincerius, incorruptiusue sacrorum canonum fontes reserauit in.c.licet ex suscepto de fo.compe. et Archi.xcvi.dist.c.duo sunt.c.si Imperator.c.cum ad unum.Hostien. in summa.de appella.§. quoniam. Hos ut a suis deficiant et uelut transfugæ in aliena castra demigrent,imprimis compellit authoritas diui Augustini asserentis ipsa iura per Imperatores et rectores sæculi Deum distribuisse humano generi.c.quo iure dist.viii. Cui astipulatur Ioannes Papa.c.si Imperatori.xcvi.dist. si inquit Imperator Catholicus est,habet priuilegia suæ potestatis,quæ administrandis legibus publicis diuinitus est consequutus:et mox adiungit ne contra Dei beneficia pugnare uideatur, a quo propriam consequutus est potestatem. Quid quod in.c.quesitum.xxiii.q.iiii.et.d.l.in nomine domini: diffinitur iura imperii a cœlesti numine tradita esse. nanq; imperium sequitur Deũ:ut in auct. de digni. col. vi. Idcirco imperator appellatur pater omniũ post Deum auct.ut ex exac.instr.do. col.vii. Ad hæc stabilienda pleraq; afferunt ueteris nouiq; instrumẽti testimonia,ut illud Prouerbiorum.c.viii. per me reges regnant:et psalmographi, Deus iudiciũ tuum Regi da,atque id generis alia. Insuper illum

locum ex.i. Petri epistola Deum colite, Regē honorate, item et illum subditi estote omni potestati, siue Regi tanquam præcellēti, siue Ducibus a Deo missis.c. solite de maio. et obe.c. magnum.xi.q.i. Nec parum facit diui Pauli authoritas in Epistola ad Romanos. Nō est inquit potestas nisi a Deo: et Math.xxii. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ sunt Dei Deo.c. conuenior.xxiii.q.viii. ubi diuus Ambro. quæ Cæsaris, quæue Pōtificis partes sint luculentissime recenset.

Quibus rationibus legū interprætes nitantur ostēdere a solo Deo ius, et potestatē imperii deriuari.

AD tot testes accedit ratiocinatio hæc ex intimo dialeticorum artificio deprōpta. Cū duorū est idē per se principiū. (Quod immediatū nostri tēporis philosophi uocant) neutrū ab altero dependere pōt. Sed Papa, et Imperator censentur eiusmodi, alter igitur ab altero nequaq̄ dependet, primū sumptum necessitatē habet: cū eius, cōtrariū subsistere nequeat. Secūdū ex his elicitur iuribus quæ iādudū in mediū attuli, ex q̄bus colligi uolūt imperatoris potestatē a pōtificia esse oīo seiunctā, et diuisam: neutrāq; ab altera pendere. cū ab eodē principio ortum habeant, et utriq; suo ductu, suisq; auspiciis rē cōmunem gerant. Qđ hoc quoq; cōnexo stabiliri potest, q̄ diuersa sūt īter se, et diuersos ad fines tendūt: alterū ab altero nō de-

pendet, ſed utrunque ad tertium quippiam eſt re-
digeñ. l. ii. ff. de uer. obli. ſed poteſtas ſpiritalis, po-
teſtaſq; ſecularis ſunt diuerſa inter ſe, et diuerſos
ad fines tendunt. c. duo ſunt. xcvi. diſt. unde con-
ficitur neutrum ab altero pendere, ſed utrunque a
tertio quopiam, ideſt a mundi opifice Deo proue-
nire. Præterea Moſes, et Aaron expreſſam Chriſti
imaginem referebant: ut Deute. c. xviii. prophetã
inquit, ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum, et
erit ſimilis mihi, et Exo. c. xviii. applica quoq; ad
te Aaron fratrem tuum cum filiis: ut ſacerdotio
fungantur mihi Sed Moſes ut Legiſlator, Aaron
uero ut ſummus ſacerdos eam imaginem refere-
bant, unde qua ratione Papa tanquam ſummus ſa
cerdos, Aaronis officio fungitur, eadem Impera-
tor, ut legiſlator locum Moſe obtinet, ut. c. tranſl.
extra. de conſti. ex quibus plane conuincitur non
alterum ab altero, ſed utrunq; a ſolo Deo manare
quemadmodum Moſes et Aaron a cœleſti numi-
ne ſuam uterq; poteſtatem accepit. Eo accedit, qđ
iure gentium diſcrete ſunt gentes regna condita
et dominia diſtincta. l. ex hoc iure. ff. de iuſt. His
ductus rationibus Petrus de Ancha. uir miræ pie-
tatis (ſed qui ita religionẽ eſt amplexus, ut ab ina-
ni fuco, et ſupſtitione fuerit omnino alienus) oſtẽ
dit regna eſſe de iure diuino, deinde gentium, co-
pioſiſſimeq; id exequitur in conſil. ſuo. cccxi. et
cccxli. Quod ſi etiam demus Papam et dignitate

et authoritate Imperatori esse præferendum nihil tamen prohibet dicere utrunqꝫ a Deo seorsum, et nullo medio interiecto proficisci, cum omnis potestas a cœlesti aula deriuetur. c. omnibus. xxiiii. q. i. c. magnum. xi. q. i. c. solite de maio. et obe. Vere et apposite Seneca in libro de Clementia personam Cæsaris induens, ita loquitur. Ego ex omnibus mortalibus placui electus, q̄ sim in terris ut deorũ uice fungerer, in mea potestate est qualem quisque statum sortem q̄ habeat: quos reges mancipiũ fieri, quorũqꝫ capiti regale decus circũdare oporteat.

Argumentá quibus canonum professores asserere student omnem Imperatoris autoritatẽ a Pontifice emanare.

a Duersus hos Cæsareæ dignitatis assertores quidam non minus in hac disputandi palestra exercitati, omnibus neruis persuadere nituntur, omne Imperii robur; et facultatem a summo Pontifice deriuari; freti præcipue autoritate psal. cxxxv. ubi scriptũ est qui fecit luminaria magna solem in potestatem diei, Lunam et Stellas in potestatem noctis: per quæ significari uolunt sacerdotium, et imperium, ut Sol uidelicet sacerdotium designet. Luna Imperiũ demonstret. Vt autẽ Luna omne lumen a Sole mutuatur. Nec aliũde quã ex eius radiis elucescit: itidẽ Impe

rialis maiestas splēdere neqt nisi pōtificis fulgore illustrata. Hii pro comperto habent utrunque gladium penes Ecclesiam esse, cum Apostoli, qui totius eccl. personam sustinebant intrepide protulerit. Ecce gladii duo, nec Christus eos ut supfluos exclusit, sed respondit, sufficit/et cum Petrus gladium perstringeret, nequaquam iussus est eū abiicere, sed in uaginam recondere, quasi usum prohibens, non Imperium auferēs. Quæ enucleatius explicat And. Siculus. c. nouit de iudi. Ant. de butr. in. c. per Venerabilem/qui filii sint legitimi. Augustinus Anconitanus in libro: qui est ab eo scriptus de eccle. pote. Qui omnes ex hac Euāgelica narratione effici uolunt, usum solum/et procurationem alterius gladii Imperatori demādari, potestatē uero utriusq; penes Pontificem residere. Perinde ut legum interprætes statuunt actiones directas licet inanes/et inefficaces remanere penes cedentem, sed earum usum in cessionarium transferri. l. in causæ ff. de procu. l. i. ff. ad trebel. Huic sententiæ mirum in modum applaudit illud Leonis. iiii. i. q. iiii. et Nicolai Papæ. c. omnes. xxii. dist. ecclesiam inquit solus Christus fundauit/et supra Petrā fidei mox nascentis erexit: qui beato Petro æternæ uitæ clauigero terreni, simul et cœlestis Imperii iura cōmisit. Verum ad hoc persuadendum nihil uidetur accōmodatius, quam eiusdem Nicolai iussa / quæ narrantur in. c. authoritatem. xv. q. vi. hæc inquit

in mandatis damus,ut ſpirituali ſimul,et materia-
li gladio malignos illos eorumq; fautores inſequã-
tur. Quo ex loco pleriq; argumentantur Pontifici
licere bellum hoſtibus indicere,et illud ſuo Marte
gerere,atq; etiam prœlio ĩtereſſe,ut.c.igitur.xxiii.
q.viii.Quod aduerſus Chriſtianæ pietatis hoſtes
fieri poſſe quis ambigat,cum nec illud dubium ſit
Pontificem bellandi tempora dieſq; legitimos, ut
olim Feciales poſſe ſtatuere:ut.c.ſi nulla .xxiii.q.
viii.alioſq; ad bella iuſte ſuſcipienda excitare.c. ut
pridem ea. queſt.et præcipue Imperatorem: Adria
ni exemplo, cuius hortatu, et præcibus Carolus
magnus bellum aduerſus Longobardos ſuſcepit
c.hortatu eadem queſt. Quod ſi Papa gladii exer-
cendi poteſtatem Imperatori non daret, nec eam
quidem auferre poſſet. Sed Innoc. Pontifex Ar-
chadium Imperatorem a fidelium cõmunione ſe-
cluſit:ut in.c.duo ſunt.xcvi.diſt.et Pont.Zacha-
rias Regem Francorum regno priuauit,ac Pipinũ
Caroli patrem in eius locũ ſuffecit.c. alius.xv.q.
vi. perempto autem quod ſequitur interimitur:
quod præcedebat: unde neceſſario efficitur Pon-
tificem gladii poteſtatem Imperatori dare, cum
illam quoque adimere poſſit , quinimmo , et
Imperium de gente in gentem transferre.c.Ve-
nerabilem, de Electione . Efficax et illud argu-
mẽtum, quod Imperator a Pontifice iniungitur,
coronatur,iudicatur:atque ab auguſtali ſolio de-

turbatur/ut.d.c.alius:et.c.i.xxvi.dist.quid quod conceptis uerbis iusiurañ.præstat.et quicquid habet eidem refert acceptum.c.tibi domino.lxiii.di. Clem.i.de iureiur,

Hæc et si qua huius generis feruntur priores illi obstinate refellunt:asserentes Imperiũ quod fuit pontificatu longe uetustius a solo Deo procedere, ipsosq; Imperatores olim et Pontifices appellatos et sacra ministrasse,ut in.c.cleros.xxi.dist.et.c. de capitulis.x.dist.Idemq; apud ueteres erat rex sacerdos et Pontifex.ff.de rerum diui.l. sacra loca. quod regius uates Dauid testatur : cum de Mose loquens ait.Moses et Aaron in sacerdotibus eius, et Samuel inter eos , qui inuocant nomen eius, hinc maximus Poeta qui semper plus in recessu habet quam fronte ostẽdat de Heleno cecinit.

Rex Helenus rex idem hominum Phœbiq; sacerdos . Quapropter tradunt græcæ Romanæq; historiæ scriptores,regibus expiandæ cedis munus incubuisse. Sacerdotium.n. ante legem cœlitus Mosæ traditam sola humana institutione deferebatur:ut testis est diuus Tho. quem uehemẽter authorem sequor in.i.secunde.q.cy. De hac tota disceptatione egregie scribit Ioan. Parisien. in eo quẽ edidit,de potestate Papali et Imperiali , libro, et Dantes Florentinus in Opusculo,quod de necessitate Monarchiæ inscribendum duxit , et omnium postremus Antonius Rosella. Hi utrunq; in

ficiantur,uel per Solem, et Lunam, uel per duos gladios Imperium et sacerdotium significari, et licet Clemens.iii.in.d.c. solite equipareт ambas potestates Soli et Lunæ,tamen ut memorabilis glo. ibidem explicat. hæc duo mūdi lumina a summo rerum Opifice proueniunt: non autem alterum ab altero emanat: reliqua quibus aduersarii se tuētur, ut friuola et inania reiiciunt.

In hac materia neq; legibus,neque canonibus esse standū,et quid diuus Tho. super his senserit.

i N hac parte lectorem monitum uelim, ubi de his agitur,quæ ad imperii decus, et dignitatem pertinent,nec ciuile, nec pontificium ius satis uirium,aut firmitatis habere, cū hii et legum,et canonū authores,architectiq; fuerint, qui uel Imperii uel Pontificatus habenas moderabantur,quem autem quisq; rebus in humanis gradum obtinet eum honoratiorem, insignioremque reddere studet. Sed qui leges condidere eodem tenore sibi ipsis ubiq; constant, atqui canones. diuersis et inter se male coherentibus, sententiis conflictantur,et nunc Imperii maiestatē ad superos usq; tollunt,nunc eam paulatim deiiciunt,quandoque ad imum usq; præcipitant,atq; in Euripi modum modo hac modo illac reciproco cursu feruntur, ut

ſcilicet,uel neceſſitas cogebat,uel præſentibus re-
bus magis expedire uidebatur. Sed nihil eſt cur ea
cauſa quiſq̃ ſibi,aut placeat,aut diſpliceat:cũ eiuſ-
modi ſcriptis nequaq̃ ſit ſtandum,quorum repel
lerentur authores.c.fraternitatis,de hereti.c. licet
ex quadam de teſt.C.de Epiſ. aud.l. mathemati-
cos. Nec plus credi oportet mortuæ, quam uiuæ
uoci. Quid autem ſunt aliud leges(ut inquit Ari-
ſtoteles)quã mortui principis uoces, nec aliud eſt
princeps,quam lex uiua:ut auct. de Conſuli.§. fi.
Quod ſi leges uetant cuiquã etiã teſti iurato ĩ ſua
peculiariq; re fidem adhiberi,ut.ff.de teſt.l.nullus.
nec eius profecto ſcitis,ſanctionibus ue credi opor
tet. Illis igitur pauliſper ſepoſitis,ubi quid ambi-
gui, obſcuriq; inciderit, ad ſacros Theologorum
fontes recurremus,unde omnis pura, et ĩcorrupta
ueritas emanat. Quædam etiam(ut hactenus feci
mus)ab hiſtoriis, quarũ authoritas ſemp habita ẽ
uenerabilis, et ſacroſancta mutuabimur. In hac
uero tã diuturna,et acri iuris peritorũ colluctatio-
ne,inter quos diſſidiũ adhuc durat,et quaſi bellũ
ciuile,ſi qs uelut arbiter honorarius oẽm litẽ ſeda
re uelit,ex diui Thomæ ſententia uelut ꝓ tribunali
ꝓnunciet. Imperium quatenus ſeparationẽ quan-
dam executionis temporalis (ut eiuſdem uerbis
utar) a ſpiritali deſignat a Deo manare diſponẽte,
et uolente, ut hii gladii per diuerſos exerceantur,
de quo egregie beatus Bernardus in eo de conſi-

deratione libro, quem Papæ Eugenio dedicauit. Sed nihilominus (ne a uerbis diui Thomæ discedam) ordo, et gradus eorum per quos hii gladii exercẽtur, eius generis sunt, ut minor, a maiore procedat, sicut a diuinis humana, et a cœlestibus terrena proficiscuntur. Non minus docte, quam religiose scribit idẽ Tho. in libro de regi. princ. Christum fuisse uerum monarcham præque omnibus aliis tripliciter excelluisse: duratione ꝑpetua, utilitate totius mũdi, et prærogatiua diuinitatis, Christiqꝫ monarchiam simul cum eius natiuitate cepisse: quamuis ut Reges, magistratusqꝫ exemplo suo submissiores redderet, eam ad tempus occuluerit. Sub Christi uero monarchia duo sunt corpora mistica alterum spiritale, alterum temporale. c. duo sunt. xii. q. i. priori præest Pontifex, posteriori uero Imperator. Vnumquodque autem caput influit primarie in suum corpus, quemadmodum in corpore naturali uniuersa membra uim, et robur a capite mutuantur. l. cum in diuersis ff. de religio. et sump. fune. quod satis in se habet firmitatis, ad probandum ab eo capite, quod est Christus, Imperium æque primo atque Pontificatum deriuari, Christus enim etiam antequam in Virginis uterum se insinuaret, caput erat Ecclesiæ, et si nunquam hominem induisset, adhuc Ecclesiæ caput foret: ut uerissime docet Diuus Thomas, a quo dissentire,

ſine hereſis ſuſpitione nemo poteſt in queſt. de ueri. c. xxix . Sed quemadmodum aſſerimus omnem imperii poteſtatem a ſummo Opifice mundi prouenire, tanquam a primo autore, ita uelut in concione promulgamus uſum et exercitatio nē Imperatoriæ iuriſdictionis a Papa / ut Vicario Chriſti: et in quem omnis Monarchia eſt tranſfuſa deriuari : ſicut peculium ſerui non eſt ſolum a domino principali : ſed etiam a Vicario .ff. de pecu. l. diffinitio peculii, cui omni ex parte quadrat glo. in. c. in ſinodo. lxiii. diſt. quæ aſſerit Papam dare gladii poteſtatem Imperatori cuius tamen exercitium ipſe non habet.

Ex tranſlatione Imperii a Græcis in Germanos quid iuris acquiſierit Eccleſia, haſq; duas poteſtates eſſe omnino diſtinctas.

Ed ſac Imperium, tam origine / quam uſu a ſolo cœleſti numine prodire, ea tñ cōmitiorū rō, qua oīs eligēdi facultas Germanis principibus eſt tradita ab ipſo nimirū Papa emanauit. Et propterea in ipſius ſitum eſt poteſtate hanc principis eligendi formulam, uel omnino abrogare / uel aliter, atq; aliter ut uſus poſtulauerit immutare, ut pulchre declatat diuus Tho. in eo quē ſæpe affero de regi princ. lib. ex quo uerba hæc adieci Imperium transfertur a Græcis ad Francos

deinde per Adrianũ Papam ad Germanos, apud quos per Gregorium. V. similiter genere Teutho nicum instituta ẽ electio Imperialis, ut scilicet per septem principes Alemaniæ fieret, quæ usque ad ista tempora perseuerat. et tandiu durabit, quãdiu Ecclesia Romana, quæ supremũ gradum in principatu tenet, Christi fidelibus expedire iudicauerit. Hæc diui Tho. sententia ex his stabilitur, quæ Platina scribit in uita Adriani V. Adrianus inquit cogitauerat constitutionem Gregorii de Imperatore eligendo, non quidem omnino tollere, sed in meliorem formam immutare. Hæc mouerunt Petrum de Ancha. Zaba. Paul. et reliquos, ut in. d. Clem. Romani, utrunq; faterentur, et Imperium prima sui origine a Deo emanasse, et eo postea de Græcis in Germanos translato Pontificem Romanũ nouæ quasi geniture habere authorẽ, atq; parentem. c. Venerabilem de elect. Quæ autem fuerit illa translatio, et quibus ex causis, et per quem, et quo tempore facta memorabilis est glo. in. d. c. Venerabilem, et plene habetur. d. Clem. Romani. Hactenus hæc tenui quodam e riuo delibaui, quæ si quis plenius noscere cupit, una mecum ad ubertimos Theologorum fontes hauriendos accedat.

An sicut uniuersus terrarum orbis subest Pontifici quo ad sacra, ita subsit Imperatori quo ad prophana.

OMnis theologorum ſchola una uoce teſtatur, quicquid terrarum ubique patet, qua Chriſtianum nomen diffunditur, quo ad ſacra, cerimoniaſque Romano Pontifici ſubeſſe: ſed illud in dubiũ reuocatur, an hæc ipſa poteſtas, quo ad profana, et quæ temporalia uulgo dicimus pari ambitu in Cæſarem ſit propaganda. Et licet nõnulli partium ſtudio in eo laborent, ut Cæſar in ordinem redigatur: cum tamen ambo ex eodem fonte perfluxerint, et eadem ſemita incedant, de utroque idem puto ſentiendum. Nanque Imperator mundi dominus et eſt, et appellatur. ff. ad l. Rho. de iac. l. deprecatio, totiuſque terrarum orbis Monarchiam obtinet. xii. q. i. c. futura: unde et a Chriſto ſolutum eſt Cæſari tributum, ut exemplo doceret, omnes Cæſari uectigales eſſe oportere. c. ſi tributum. c. magnum. xi. q. i. Fuit enim ex uſu publico, ut cunctæ res mortalium ad unius ditionem, et arbitrium pertinerent. ff. de origi. iur. l. ii. quod animaduertẽs diuus Ambroſius uir adeo acer, et uehemens, ut Theodoſium cenſoria quaſi nota inurere ſit auſus, in. c. conuenior. xxiii. q. vii. faſſus eſt Imperatori oĩa licere, ipſiuſque eſſe uniuerſa. Cuius quidem authoritas tam longe, lateq; patet, ut eius legibus omne genus humanum alligetur cũ reliq̃s oĩbus atq; ipſi ẽt Pontifici quo ad profana præeſſe uideatur: et eapropter circa uniuerſæ Reipub. totiuſque mundi negocia dicitur

occupari.l.præcipimus.C.de appella.et aucten.de here.et fal.colla.i.cum finis Imperii ſit ſaluti, atq; incolumitati conſulere ſubditorum .ff. de offic. præſi.l. præſes . Sed neſcio an ſatis recte hanc ſententiam ſolis Cæſarianorum copiis defendam. cum in eiſdem præſidiis omnes fere ſacrorum canonum profeſſores uerſentur:et cum primis Hoſtiẽſis in ſumma de offic.ordi.§.i.et glo. in.c.uolumus.xi.q.i.et.c.oẽs.xxviii.q.i.q̃ tradit Gallos,et alios trãſalpinos legibus Imperii teneri.Idẽ teſtat̃ glo.c.ſup Specula.de priuile.et.d.c.p Venerabilẽ, ubi ualde caute , et penſiculate ſcribitur: Regem Franciæ de facto non agnoſcere ſuperiorem, perinde ac ſi dicat, de iure tamen agnoſcere debet: cum de iure (ut eadem affirmat) Romano Imperio ſubſit.

Cum Imperium a uiolentia cœperit , quomodo dicatur eſſe a Deo.

h Victam populari ; plauſibilique ſententiæ repugnat,quod ipſe Imperator duas tantum eſſe affirmat cauſas,quibus ſuum Imperiũ conſtat,et ſtabilitur:uel quod illud beneficio populi Ro.obtineat,uel qđ iuſto bello ab hoſtibus occuparit.ff.de capt.et poſtli.re.l.poſtliminũ.l.hoſtes. Sed utraq; cauſa mãca uidet̃,atq; parũ efficax: cũ exploratiſſimũ ſit,nõ licuiſſe populo Ro. plus

in principe m iuris transferre, quam ipse habuerit l.traditio.ff.de acquiren.re.do.c. nemo de regu. iur.lib.vi. Nullum autem ius Romanos in exteras gentes habuisse, priscis ex annalibus constat. Vrbem, etenim Romam Romulus et Remus condidere, qui cum omni principatu et ditione caruerint, scelere, et iniuria alios, atq; alios suis e sedibus expellendo, sibi et posteris tyrãnidem, potius quã legitimum Imperium pepererunt: et quicũq; ab eis causam ducunt, successores uitiorum et culpæ esse uidentur .l. cum heres.ff.de diuer.et temp.præs. Verum ut hic nodus quo multi irretiuntur dissolui possit: ad diui Tho. sacrarium, quasi ad arã confugiamus, qui pronunciat Imperium Rom. licet a uiolentia ortum traxerit: consilio, tamen nutuq; diuino inualuisse, et ad rerum apicem euectũ esse, propter bonum cõmune. Diuina .n. prouidentia (ut idem tradit) economice ac politice non minus apposite quam necessario cõparatur: cum Deus mũdum uniuersum perinde, ut familiam, uel Ciuitatẽ modereẽ. At bonus paterfamilias reipub.q; præfectus, mauult bonum illud suscipere, et procurare, quod latius patet: ad pluresq; pertinet: quã unius uel paucorum. Idcirco si res ita postulet quippiã exigui mali, aut dissimulando tolerat, aut conniuẽdo fieri permittit: ne quod optimũ est factu; ut suiq; plurimorum accõmodatum impediatur. Nihil autem est paucorum non tenue, atq; exile, si ad rem

cõmunem fuerit collatum. Vtq; partes ipſæ corpo ris humani ſimul omnes iunctæ, atq; cõnexæ unũ hoc efficiunt corpus: ſic homines ipſi per tot puin cias, regna, tetrarchias longe, lateq; diffuſi: unum quaſi efficiũt corpus, quod Imperium appellatur. Etenim ut mũdo ambienti, et cõtinenti oĩa: unus eſt, qui præeſt Deus moderator, et rector uniuerſi: unumq; illud ſupremum, et extimum cœlum perẽ ni circuitione rotat, cuius efficit motus, ut reliqui cœleſtes orbes, et quæ eis ſubiacent, ſuo quæq; or dine moueantur. Sic uoluit, ut quamuis priuatim quiſq;, et per ſe bonum expectat, quo quidẽ alius differt ab alio: tamen bono, quod cõmune eſt, ſociẽ tur omnes, ab illoq; dependeant, recteq; ueteres di xerunt e cœlo regiũ nomen deſcendiſſe. Quid qđ ipſa parens, et altrix omnium natura, quæ optima, et perfectiſſima quæq; in ſuo genere efficit, ſanxiſ ſe uidetur, ut in omni multitudine ſit unum aliqd, quod cunctis præſit. Nam etiam apibus unus eſſet Rex, quo incolumi (ut inquit Maro) mẽs om nibus una eſt, amiſſo rupere fidẽ. c. in apibus. vii. q. i. Et belluarum greges ductores quiq; ſuos ha bẽt, nec gruum quidem ſine duce uolatus ſunt lõ giores. Quæ omnia declarãt naturam ipſam, quæ operi ſuo quam optime conſultum uoluit initio ſtatuiſſe: ut in uniuerſo terrarum orbe unus eſſet aliquis, qui illum regeret, communiſq; boni curã ſuſciperet. Sapienter Ariſto. in ultimo tranſmun.

philo. libro. magis secundum naturam esse tradit uniuersum orbem ab uno teneri quam a pluribus, citatq; hos Homeri uersus.

Res mala multiplici mundum ditione teneri.
Esto unus Princeps populos cui pace regẽdos.
Iustitiaq; dedit magni regnator olympi.

At. M. Cicero uehemens alioquin publicæ libertatis uindex, quodã loco affirmat, sine Imperio, nec domum ullam, nec Ciuitatem, nec gentem, nec hominum uniuersum genus stare, nec rerum naturã omnem, nec mundum ipsum posse. Eapropter alta quadam, et incomprehensibili Dei prouidentia effectum est: ut populus ille collectitius, ex agrestibus casis, aut infami asyllo profectus: uiolentas manus in urbes, regionesque alienas iniiceret: quo scilicet Imperium totius futurum orbis caput: ad publicum generis humani usum, et incolumitatẽ constitueretur. Nec enim supremus mundi opifex (ut tradit Augustinus) quo nemo altius reconditos sacrarum litterarum sensus penetrauit) quic quã mali permitteret, nisi maiora inde bona sapientissimus idemq; potentissimus eliceret.

Cur ad Romanos Imperium fuerit delatum, quãtaq; sit eius sublimitas.

C Aeterum ex eiusdem Tho. disciplina constat Deum optimum maximum Imperiũ Romanis contulisse, propter amorem pa-

triæ ſanctiſſimas leges, et pietatem. Diuus Hiero-nymus morum cenſor acerrimus in. c. oés. xxviii. q. i. fatetur Romanos uirtutibus Imperium me-ruiſſe: præſertim diuini cultus, cærimoniarumque obſeruantia. Nam ut ſcribit Cicero magnum ſtu-dium fuit antiquis non ſolum ſeruandæ, ſed etiā propagādæ religionis, De quo præclare Valerius, omnia inquit poſt religionem ponenda ſemper noſtra Ciuitas duxit, quapropter non dubitaue-runt ſacris Imperia ſeruire: ita ſe humanarum re-rum habitura regimen exiſtimantia, ſi diuinæ po-tentiæ bene et conſtanter fuiſſent famulata. Hinc Plautus poetarum feſtiuiſſimus in trinūmo plauſi biliter dixit. Quis eſt homo tanta confidentia: ut ſacerdotem uiolare audeat? Verumtamen Impe-rium in terris triplicem ortum, incrementumque habere tradūt: cum alii pleriq; tum imprimis Car-dinalis in. d. c. Venerabilem, et. c. cauſam, qui fil. ſint leg. uel uoluntate, conſilioq; diuino, uel con-ſenſu eorum, qui reguntur: uel demum impreſſio-ne, ac uiolentia. Illud etiam adiicit per diuturnum prouinciarum, populorūq; conſenſum, qui uolun tarie tot annos ſub Imperio degerunt, uitium uiolentiæ purgatum eſſe, atque diſſenſum tran ſiiſſe in conſenſum: ut. C. de his quæ ui. me. cau. l. ſi per uim. Quo quidem nomine Imperium Ro manum dici poteſt iuſtum, omneſque natio-nes ei morem gerere oportet: ut per Innocen.

in.c.super his de uo.et uo.et Bal.de iusti.et iur.ff. l.ex hoc iure/quibus astipulatur illud Ezechielis. Faciam gentem unam/et erit Rex unus,et nō erũt duæ gentes. Cum igitur Imperium diuinitus fue rit institutum/qui ei resistit/ordinationi diuinæ re- sistit.xi.q.iii.c.qui resistit. Quem non terreat illa dira execratio aduersus rebelles/et cōtumaces pro mulgata in.c.Imperatores.xi.q.iii. qui præceptũ inquit Imperatoris contemnit/sibi ipsi præiudiciũ acquirit:et inter homines pœnas luit/et apud Deũ frontem non habet. Nonne et in Deum impius/et in homines inofficiosus est censendus/qui Impera toris maiestatem labefactare conatur/ cũ promul- gatum sit in aucten.ut omnes obe.iu. pro. col.iiii. Imperatorem habere uniuersam iurisdictionē ab ortu usque ad occasum Solis/et ab utroque latere, scilicet meridie/septentrioneque:item et ab omni- bus insulis/quæ usque ad occeani recessus exten- duntur/ut in aucten.ut eccle. Roma. cen.an.præ. Hinc natum est illud non illepidum glosæ cōmẽ tum in Rub.C. de indictio. lib.x. Imperatorem scilicet triplici Corona insigniri , quod sit totius mũdi dominus,qui tres in partes diuiditur: quod enim toti Asiæ dominetur/promulgatum est.l. fi. C.de tempo.appella. quod Affricæ.l.i.ff. de offi. præfec.præto.af.quod Europæ.l.ii.C.de appell. Non de nihilo scribit diuus Tho.Imperatorē tra- here nomen a supremo dominio , quasi omnium

dominum. Et eapropter, qui ei subesse recusat omni succedendi iure, legitimisq; hereditatibus priuatur, ut dist. i. c. ius Quiritium.

Vter maior præstantiorque sit, Pontifex an Imperator.

hAEc Imperii maiestas publicam differẽdi materiã plerisq; dedit, qui per factiones diuisi tumultuarie quærunt, uter maior sit cẽsendus Pontifex, an ne Imperator. Qui priores Imperatori tribuunt, legibus Cæsareis muniuntur l. uictor. C. de sum. tri. et ĩ usib. feu. rub. cõsti. diui Lotarii, et de ꝓhibi. alie. feu. ꝑ Lota. in quibus Imperator præfertur Pontifici: quodq; ualidissimum est ĩ. l. gloriosissimo: et. C. de sum. tri. et ĩ. c. uictor Honorius. xcvi. di. Papa sibiipsi præfert Impatorẽ, at in. c. nos si incõpetenter. ii. q. vii. se eius iudicio cẽsuræq; subiicit. Quanti uero illud est faciendum, quod ecclesia ueteri iure mpatori pẽdere tributũ cogebaẽ: ut. d. c. tributũ: et. c. oĩs aĩa, de cẽsi. omniaq; fana/templaq; eius erant in potestate: ut aucten. ut eccle. Rom. adeo ut sacratissimis delubris ĩmunitates/priuilegiaq; donare cõsueuerit. c. auditis, de rest. spol. et. c. in synodo. lxiii. distin. Sacri etiam antistites cum uniuerso initiatorum ordine Cæsarum ditioni parebant: ut enarrat Innoc. in. c. ii. de maio. et obe. Quæ cum ita se habeant,

iure optimo Impator appellaт̃ sacratissimus. d. l. bene a Zenone, et cũ ipse nascit̃, dicit̃ nasci auspiciũ Lucis. C. de feriis. l. oẽs. Hæc licet firmissima sint, cõtraria tñ snía nõ minus ualidis fulcit̃ adminiculis, cũ p Christũ Petro, suisq; successoribus tradita fuerint utriusq; regni gubernacula cœlestis. s. et terreni. ad qđ stabiliẽdũ plurimi Canones in mediũ afferri possunt, ut. c. i. xxii. di. reliquos studio breuitatis omitto. Qui huic sníæ inherẽt, pertinacissime cõtendũt (in quo totius disputationis cardo uersatur) Christum dum in humanis agebat utrũq; gladium distrinxisse, siue cum uẽdentes, et emẽtes flagellis eiecit e tẽplo: siue cum mulierẽ deprehẽsam in adulterio iudiciaria potestate absoluit: et id genus pleraq; memorant, quæ ad utrãq; iurisdictionem uidentur referri: ut per Gregorium Nazanzenũ in. c. qui studẽt. i. q. i. at ille, nihil oío iuris exercuit dũ hũana sub ĩbecillitate latebat, qđ Vicario suo non demãdauerit inq̃ens, quodcũq; ligaueris super terram. Math. xvi. nõne utitur notione generali, quodcũq;? et nihil penitus excipit? Quid illud tibi dabo claues? per huiusmodi multitudinis numerũ omnẽ cæli, terrarũq; ditionẽ comprehendens, ut subtiliter disputat Hostien. de maio. et obe. c. solite de elect. c. significasti: et. d. c. per Venerabilẽ. Sed hæc leui (ut aiũt) brachio collidi possunt, nã etsi demus Christũ q̃ utriusq; potestatis sunt exercuisse: nõ continuo sequitur id qđ aduersarii efficere nituntur. non enim id egit, ut præscri-

beret hæc duo munera ab uno tantum esse obeunda: sed ut restatum relinqueret utrūq; ab eo procedere. Duo siquidē hæc dona Impiū, et sacerdotiū ab eodē principio defluūt, et ad eūdē finē referūt, ut ī auct. quomo. op. epi. colla. i. Sed neq; duæ, sed una est tantū clauis: potestas. s. illa p quā sacerdos ligat, et soluit: duas aūt et appellant, et in imaginibus statuisq; effingunt: pp duo, q̄ clauē gerētibus inesse debent. nā præter ligādi potestatē, oportet eos habere iudicādi, et discernēdi peritiā. d. c. p Venerabilē: ut sit altera clauis ligādi, atq; soluēdi: altero sciētiæ, de quo glossa est memoratu digna. xx. dist. in prin. et glo. et Inno. in. c. quanto de iureiur. Abb. in. c. fi. de exces. prela.

Cum his principibus potestates sint distinctæ alter in alterius iurisdictionem se ingerere non debet, nisi opis ferendæ gratia.

IN hac iudiciorū uarietate uero simillimū duco idq; e priscorū ānaliū monumētis approbatū a prima fidei nascētis origīe duo tribunalia fuisse oīo distincta, quiq; uni insidebat alterū nō attigisse, qd' plane declarat. c. duo sunt. c. si īperator: di. xcvi. c. cōuenior. xxiii. q. viii. Accedit et illud Pauli ad Tim. Nemo militās deo īpedit se negociis sæcularibus: ut ei placeat, cui se probauit. Sed quo nam piaculo prætermittā Nicol. secundi oraculū qui in. c. cū ad uerū. xcvi. di. nec Impator inquit iura pontificatus accipiet, nec Pōtifex Imperii usurpabit, quoniam idem mediator Dei, et

hominum homo Christus Iesus, actibus propriis, et dignitatibus distinctis officia utriusq; potestatis discreuit: ut et Christiani Imperatores pro æterna uita Pontificibus indigerent, et Pontifices pro cursu temporalium rerum Imperatoriis legibus uterētur. Hinc illa formidolosa Christi Iudeorum scelere circũuenti aduersus Petrum comminatio: omnis qui gladium accipit, scilicet ad alterius ius spectantem: gladio peribit. xxiii. q. viii. c. primo: de quo scribit Apost. ad Roma. Principem non sine causa gladium portare: cui quidem gladio tantũ attribuit Augustinus, ut fateatur neminē mortaliũ non ei gladio esse obnoxium. d. c. oĩs aĩa decēsi. et quicunq; Cæsare prohibente hunc gladiũ manu perstrinxerit, eũ gladio periturũ. c. solite de maio. et obe. Grauis est illa, et ad rē, de qua agitur accōmodata Inno. auctoritas ĩ. c. quæsitũ. xxiii. q. iiii. meminerant, inqt a Deo potestates esse cōcessas, et propter uindictam noxiorum gladium esse pmissum, Deiq; ministerio datum. His fretus suffragatoribus celebris ille interpres Ioãnes, qui scholia, siue glossas, et glossemata malueris appellare, ĩ uniuersum prope ius Pontificium edidit in. c. quoniã dist. x. Ego inquit, credo, potestates eē distinctas, licet Papa quandoq; utrãq; sibi assumat: cũ scilicet aliquem quo ad spiritualia, et tēporalia legitimat: licet illud egerit permissu Regis, qui id suo arbitratu prestare potuit, eadē ferme, et approbat, et sequi

tur Host. in sum. qui fil. sint legit. §. quis, et a quo. Quæ omnia in unum collecta, maximam uim habent, ad ostendēdum, nec Pontificum iura esse ab Imperatore, nec a Pontifice imperatorum usurpanda, gladiumq; Cæsaribus ab ipso cœlesti numine, non a mortalium quoquam fuisse porrectū, et perinde hos inter principatus tribunalia ita eē diuisa, ut alter in temporariis, et caducis, alter in his, quæ ad cultum diuinum, et animarum sanctimoniam spectant, summum ius obtineat, et facultatem: qđ siquid iuris in Cæsarem ipsi Pontifici esset, in profanis quoq; ab ipsius tribunali, ad Pontificem appellare liceret: cum appellatio sit ad superiorē magistratum prouocatio. c. ii. de cōsuetu. lib. vi. si antecedens interimis: elides, et perimes, quod est consequens. At Alexander Pontifex ad se prouocari uetat: inquiens id suam iurisdictionem nequaquā attingere. c. si duobus de appella. quod queso indiciū apertius esse potest? diuersis licet in collegiis eos pari fungi potestate, nec alteri in alterum ius ullum esse. Pro hac parte omnes Cæsarianarum rerum studiosi, perinde ac pro aris, atq; focis cōtendunt, quorum pleriq; potius de uitæ statu, quā de hac sententia deduci posse uidentur, et imprimis Albe. in. d. l. bene a Zenone, ubi præclare scribit optime cum rebus humanis actū iri: si unaquæq; iurisdictio suis contēta finibus alienos limites nō usurparet: ita. n. inquit; In uniuerso terrarū orbe

pace ſtabili,atq; incõcuſſa frueremur. Nõ minus ſa piẽter Inno.ĩ.d.c.ꝑ Venerabilẽ,uetat alterũ princi pẽ ĩ meſſem alterius falcẽ ĩmittere, hac tñ exceptio ne niſi ad mutuã opẽ ferẽdã. Nãq; imꝑator defen ſor ẽ aduocatus/et patrõus eccl.ut.c.adminiſtrato res.xxiii.q.v.c.ſi ĩ adiutoriũ.x.di.cũ aliis pene in nũeris. Atq; ubi qd ꝑ ſciſmaticos aliosue ĩ religiõe turbaṫ,q̃uis,nec accerſitus,nec ĩterpellatus ultro ac currere debet,et tãq̃ Triptolemus/alter iuſtitiæ ar mis ĩdut⁹ aduerſus ignorãtię,et ꝑfidię iaculaĩ aciẽ deſcẽdere, quæq; collapſa uideṫ,aut breui ruitura fulcire/ac ſuſtẽtare. Quocirca ſcribit Ioã. And.uir liberrimi iudicii/et neutri pti addictus,ubi eccleſia ſtica poteſtas deficit,Imperatorẽ ſupplere, ut tradi tur.c.principes.xxiii.q.v.principes ſæculi nõnun quã intra eccleſiã ptãtis culmina tenẽt,ut per ean dẽ,diſciplinam eccleſiaſticã muniãt: quem locum citat Bal.in.c.olim de reſcri.et hæc adiungit. Im perator olim ſciſma curabat conciliũ cõgregabat; illique intererat. Sed hodie,ut idem ſcribit / faſces amiſit,qa reges ab eius obſeqo ſeſe abduxerũt de re.iu.c.ad apoſtolicæ lib.vi. Quã me delectat illa Martini Impatoris ꝓfeſſio/in.c.nos.xcvi.di. Nos inquit ad fidem confirmandam/nõ ad potentiam oſtendẽdam exemplo religioſiſſimi Conſtãtini ſy nodo intereſſe uolumus, ut ueritate inuenta non ultra multitudo prauis doctrinis attracta diſcor det:qđ his miſeris tẽporibus, an neceſſariũ foret/ Deus ipſe iudicet:ĩmo ut affirmat Bal.ĩ.d.c. olim;

ubi agit̃ de religione tutanda, uel totius mũdi pe-
riculo, si ille cuius interest, nõ uult rõne, et iustitia
uti ab Imparatore armis cõpelli põt. C. de iud. l. nul
lus. An aũt summus Põtifex qcq̃d ciuitatũ, loco
corũue obtinet Impatori acceptũ referat, et eo no
mine inferior cẽseatur, adeo exacte, et dilucide ex
plicat Præpositus. c. aduerũ. xcvi. dist. ut nulli du
bitãdi relictus esse locus uideatur. Nec illud in du
biũ uenit, Imperiũ prius origine fuisse Papatu, et
quatenus antiqor eo, dignior Impator est cẽsen-
dus. l. i. de albo. scri. ff. sed quo spiritalia, et æterna
tẽporariis, et caducis sunt sublimiora, eo Papa ma
ior, excellentiorq; haberi debet. Illud uero extra
oẽm aleã positũ uelim his ĩ rebus: q̃ ad cerimõias;
diuinũq; cultũ referunt̃, Põtificẽ habere ius, et po-
testatẽ ĩ ipsum ẽt Impatorẽ. c. nouit de iudi. Qua
Inno. uelut Vulcani Clypeo munitus, Archadiũ
Imperatorẽ qđ Chrisostomũ ab epali sede deiici
pmiserit, excõicatiõis cẽsura ĩnodauit. c. duo sũt.
xcvi. di. Quinimo si diuina mysteria spectes, qli-
bet Antistes dicit̃ eẽ Impatore maior. Talẽ (inquit
optimus ille, sed parũ felix Impator) ĩ Põtificia cõ
stituite sede, cui et nos q gubernamus Impiũ since
re nr̃a capita submittamus. lxiii. di. c. Valentinia-
nus: cũ imperatori uel ab Episcopo sacris interdici
posse, exẽplo Ambrosii couincat̃, q Theodosiũ a
sacrorũ cõmercio exclusit ob delictũ in sua dioce
si perpetratum. An autem Papa ea succedat in
Vicariatu potestatis, et dignitas prærogatiua, qua

beatus Petrus a Christo fuerat euectus/egregie explicat diuus Tho.in sum.cōtra.gēti.li.iii.c.lxxvi.

Quale fuerit olim Imperium/et ut prius successione,deinde per electionem delatum sit.

C Vm hactenus demōstratum sit sacerdotiū et imperium eisdem e fontibus emanasse,et alterum ab altero non admodum differre: operæprecium me facturum puto : si qua amborū fuerit origo,qui progressus/atq; incrementa:quantaq; inter utrunq; sit uel æqualitas/uel simimilitudo paucis attigero.Illud præfabor, quod neminē historiæ Romanæ studiosum latere reor/ Imperatores olim suffragio militari solitos creari: ut in.c. legimus.lxiii.di. Quippe a Senatu populoq; Romano,cuiusq; prouinciæ moderandæ cura consuli,prætori/alisq; magistratibus demandabat̄/qui ubi aliqua insigni clade hostes affecerant/mox ab uniuerso exercitu imperatores nominabantur.Ius autem erat imperatori noīato Fasces laureatos honoris causa gestare/ quibus frequenter senatus decernebat plurium dierū supplicationes,uelut triūphi futuri prærogatiuam,quo, post uictoriam, magnifice gesto/uotisq; Tarpeio Ioui persolutis/ab imperatoris nomine abstinebant:sed hoc Castrense nomen in eum est translatum , qui Romani imperii gubernacula tenet : cuius immutationis

causa fuit Iulius Cæsar, qui cum rerum potitus: dictatoriã, regiamq; potestatẽ in se cõuertisset, quod sciret regium nomen Romanis esse inuisum, atq; adeo execrabile: ad declinandam inuidiam pro rege Imperator maluit appellari: id quod multo antea fuerat meditatus. Nam cum. M. Antonius consul Anciliorũ die ei diadema obtulisset, ille altissima uoce exclamauit, ut ab omnibus audiri possit: se Cæsarem, non Regem esse, diademaque procul abiecit. Quod. M. Cicero omnibus eloquẽtiæ suæ uiribus. M. Antonio frequẽter exprobrat: id non omissit diuus Tho. nullius elegãtioris expers disciplinæ: qui in lib. de regi. prin. tam sæpe repetito Imperatorem tradit non dici Regem, quia nomen regium Romanis erat odiosum. Cæterũ Imperium a Iulio Cæsare ita auctum, et cõstitutum: quasi per manus successionis iure deferebatur: sic Octauius in familiam Iuliorum adoptatus Cæsari successit: et Tiberius per adoptionem Octauio: eodem iure Caligula Tiberio: Neruæ Traianus: Traiano Adrianus: Adriano Antoninus: nam Vespasianus Imperium nullo aliunde herede accersito ad suos liberos transmisit. Quid autem laboro seriem Cæsarum singulatim recensere? cum Imperium olim successorio edicto fuisse delatum habeatur in. c. deniq;. vii. q. i. Vbi glossa refert filios Regum iure reges esse oportere, et Dauid Salomonem sibi successorem instituisse. Quem aũt quisq;

in successorem cooptabat: is uel Cæsar, uel Augustus est appellatus. sic Valentinianus Gratianum filium suũ Augustum dixit, et Diocletianus Constantium, atq; alii alios. Quandoque tamen suffragio militari Imperator creabatur: ut Vespasianus a Iudaico: Galba ab Hispaniensi, Vitellius a Germanico exercitu ad supremũ fastigiũ sunt euecti, qui tum demum iure facti censebantur: si Senatus, populiq; Romani auctoritas intercessisset. Et ne sola historia me sustentem: Canones tradunt principatum non sanguini deferendũ esse: sed uite, et quãdo, aut unde habuerit ortum Imperiũ copiose narrat Archi. xi. q. iii. c. Iulianus: et Iaco. Alua. x. coll. quis di. dux. co. uel mar. at cur olim successionis serie nũc aũt ex electiõe deferatꝛ disputat Ioã. An. in addi. Spec. ti. de rescrip. presenta. §. fi. Bal. c. i. de pace te. in usi. feu. et Pet. de ancha. cons. ccclxxxi. Quot demum apud priscos fuerint imperia: tradit Bar. in extraua. ad repri. et Alua. d. colla. x.

Quomodo olim deferebatur Pontificatus, et quæ in ea re fuerit Imperatorum auctoritas.

hAEc ideo uberius de Cæsaribus recensui, ut ad Põtifices facilior aditus pateret, quo mea omnis tendit oratio: qui tamen non Papæ, nec Pontifices: sed Romani Episcopi uocabantur, nomen a uetustis temporibus deductum.

Nam Atheniẽſes, quos ſpeculatũ mittebant, quid in unaquaq; ſubditarum ciuitatum boni, maliue, æqui, aut iniqui ageretur, hos Epiſcopos, ideſt ſpeculatores uocabant, ut. c. qui Epiſcopatum viii. q. i. Refertque Plutarchus Scipionem Affricanum a Senatu in Aſiam miſſum eſſe Epiſcopum gentium, Regumque, & Cicero ad Atticum ſcribens, me inquit Pompeius eſſe uoluit, quem tota campania et ora maritima habeat Epiſcopum, ad quem delectus, et negocii ſumma deferatur. Vnde uero et quare Roma. Epiſcopo nomen hoc Papæ fuerit inditũ, et an ſit nomen dignitatis, an potius ordinis, tradit Ioan. And. in præfa. Clemẽ. et de tranſla. prela. c. iiii. et. xc. diſtin. c. ſi quis. Verum ut de ratione nominis ambigitur, ita dubitatione caret, Pontificatum olim per ſucceſſionem deferri ſolitum. Nam et Petrus, quaſi ex teſtamento Cletum. ſucceſſorem reliquit. uel (ut alii malunt) Linum, qui Clementem ſibi adoptauit, at Cletus Anacletum, durauitque is mos uſque ad tempora Hilarii. c. ſi Petrus. c. Moſes. viii. q. prima, qui pontifiacatum iniuit, anno ſalutis. D. hic primus inſtituit, ne Pontifices ſucceſſores ſibi deligerent: quæ ſanctio eſt redacta inter Decretales conſtitutiones, et ad omne ſacerdotũ munus prorogata: ut in. c. i. de preb. et per uniuerſa capita, quæ comprehenduntur in. viii. q. i. Verumtamen

quacũq; ratione ad Pontificatũ pateret ingreſſus, nemo Apoſtolicæ Cymbæ gubernacula capeſce-bat, niſi prius Imperatoris auctoritas interceſiſſet: ut.c. Adrianus.c. i ſynodo. lxiii.di. Mos.n. apud ueteres inualuerat longo annorũ decurſu obſerua tus: ut Clerus, populuſq; Romanus Pontificem eligeret: quo deſignato in Imperatoris manu erat electionẽ ratã, irritamue habere.c. Agatho.lxiii. diſt. et ut collibitum fuerat aut eum admittere, cõ probareq;, aut ipſo reiecto, et exploſo, alterum ſub rogare. Perdurauitq; is mos uſq; ad Adrianũ an-no ſalutis. Dcccxcv. qui tanti animi fuit: ut ini-tio Pontificatus ſui ad Senatum, populumq; Ro-manum retulerit, ne in creando Pontifice Impera-toris auctoritas expectaretᷣ, utq; libera eſſent cleri, populiq; ſuffragia. Sed huic edicto minime fuit ob temperatum: permanſitq; uetus illa conſuetudo, Pontificis ab Imperatore confirmandi: uerba ſunt Platinæ in uita Gregorii.ix. qui prefuit Pontifica tui anno Chriſti. M. lxxii, Gregorius inquit multis muneribus ultro, citroque miſſis, cum Hen rico Imperatore in gratiam rediit, qui eum in Pon tificẽ Roma. confirmauit: ut tũc tẽporis mos erat. Vnde euenerit, ut mutato uetere inſtituto, Impera tor confirmetur a Pontifice.

Vid iam aliud ſupereſt, quam ut uelut in frequenti iuris peritorũ conſeſſu ſtudioſe quæramus, unde tam noua rerum facies

eruperit, tantaq; labentis imperii facta sit immuta tio: ut cum per mille supra annos nullus/ nisi prius interposita imperii auctoritate Pontificatum fue- rit assequutus, ut perspicue habetur in. c. in syno- do aliisq; ca. lxiii. dist. Nunc fortuna immutata, et incontrarium reflante Cæsar/quo rerum habenas pleniore iure moderetur alieno egeat adminiculo. Ciuilium legum interpretes. d. l. bene a Zenone, hanc (ut putant) imperii calamitatē deplorare non desinunt, et causantur astu/ potius doloq;/ quā ex æquo, uel bono/tam certa diuturnaq; priuilegia Cæsares amisisse, et (ut inquiunt. Bal. et Albe.) ex longa imperii uacatione/atq; interregno, necnon potentia, prudentiaq; summorum Pontificum/ et aliorum Romanæ ecclesiæ præsidum tantum de- coris/et dignitatis Cæsaribus esse ademptum. Sed hi omnes, mea quidem sententia, errorū tenebris, inuoluti a recta semita declinarunt, quibus siquid luminis affulsisset, facile fuit intueri, triplicem hu- ius mutationis causam, uel quod Imperatores ea priuilegia, quibus plerūq; Romanæ ecclesiæ insul tabat, spōte a se abdicarūt. c. ego Ludouicus. lxiii. dist. et. c. tibi. uel quod ex abusu ea pdidere. c. Ve rum ea. di. uel postremo: quod eiusmodi ex causa concessa fuerint: quæ explicatur in. c. Adrianus, et sequē. ea. distin. Cessante autem causa priuilegii e uestigio priuilegium euanescit. c. quo remedio prima. q. vii. Bal. uir ingenii acutissimi/ et diale-

cticis disciplinis apprime ornatus in. c. olim de re-
scrip. nos admonet, ut duo tempora animo reuol
uamus, alterum cum ecclesia lacera, et exanguis
parum firmitatis habebat: alienoque adminiculo
fulciebatur, quæ tunc præsenti Scenæ inseruiens
nihil non indulsit Imperatoribus, seque quodam-
modo seruilem in morem emancipatui dedit. Al-
terum quum eo amplitudinis, et auctoritatis ex-
creuit, ut uel Cæsaribus ipsis esset formidolosa,
quando scilicet Imperium cœpit inclinare, et Re-
ges, principesque ab eo deficere: tum demum suo
usa est foro, et tam graui iugo discusso se in liber
tatem uindicauit, idque optimo iure: cum Impe-
ria, ut inqt Valerius, debeant sacris famulari. Hoc
cõfecto demẽdus iã ẽ, ille scrupulus ex aĩo quorũ
dam, qui anxie percunctantur, cum primæuo ritu
christianaque institutione omnes fere uectigales
essent ecclesiæ, pẽderentq; annuũ imperatori tribu
tum aucten. ut eccle. Roma. c. si tributum. c.
magnum. xi. q. prima, qua ratione factæ sint im-
munes, quisue eas a tali iugo eximere potuerit. Le
gum interpretes in. d. l. bene a Zenone, id effectũ
putant sola indulgentia, liberaq; imperatorũ uolũ
tate, quod licet non absurde dici uideatur: senten-
tia tamen Innocen. proximius ad ueritatem acce-
dit, qui in, c. ii. de maio. et obe. affirmat eas potuisse
per decreta pontificum ab alieno emancipatu exi-
mi, et tanquã res spirituales quasi uinditiarũ iudi-

cio in libertatem reuocari. Theologi, qui hæc ue ſtigiis omnibus indagata tenent, rem totam exa ctius perſcrutantur, et præſertim diuus Tho. ii. ſe cundæ. q. lxiii. ubi affirmat Leonem Papam ultro ſe ſubieciſſe iudicio Imperatoris, quẽadmodũ Chri ſtus hominibus. Vt aũt quæ ſuper hac queſtione omnium ingeniis agitata diuinus ille uir ſenſerit; in lucem prodeant, quædã ex priſcis Cæſarũ anna libus paucis perſtringã. Leo primus ex Græcorũ genere in demortui Martini locũ eſt ſuffectus, qui Leonem. ii. ex ſorore nepotem ſibi ſucceſſorẽ deſi gnauit: at ille non multo poſtea morbo oppreſſus patri Zenoni Imperium reliquit, et ita per manus ſumma Imperii poteſtas apud græcos diu reman ſit. Poſtmodum anno ſalutis. Dccc. ob principum Conſtantinopolitanorum impietatem, cultuſq; di uini neglectum: a Græcis in Germanos p Stepha num Imperii facta eſt tranſlatio.

Imperium a Græcis ad quos fuerit trãſlatũ, et qd in eo iuris adepta ſit Eccleſia.

Am fide caret qđ in plurimorũ aĩs inſedit, n et a glo. in. c. ego. Ludouicus. lxiii. diſt. his uerbis enarratur. Imperiũ primo Francorũ fuit, ſed poſtea Teuthonici uirtutibus ꝓmeruerũt Imperiũ. Qui error irrepſit cũ ex hiſtoriaꝝ ĩſcitia, tũ ex noĩum ꝓpinqtate qđ pro Frãconia, Frãciã: pro Frãcis Gallos crediderũt. At diuus Hierony.

omnibus humanioribus disciplinis excultus ad Iouinianum scribit. Francos Germaniæ populos inter Sueuos, et Saxones regionem fortem, magis et bellicosam: quam latam tenere. Siquidem Franconia, ut ex ratione cosmographiæ deprehendimus, a Septentrione / et oriente sylua Hyrcinia continetur: a meridie Sueuos attingit / ab occidēte ad Rhenum non peruenit. Sed olim Francorum fines, ut omnium fere Germaniæ populorum nullis terminis claudebantur, uirīū robore, et bellicis successibus extendere, propagareq; limites consueuerint. Hi Germaniam lōge lateq; peruagati: Coloniam ad Moganum Fluuium (unde Mogūtia) deduxere, quam a suo nomine Francofordiam uocarunt: deinde Rheno superato, Belgisq; in potestatem redactis omnes fere Gallicas uires attriuere, ut iam non Gallia, sed ab ipsis Francis Francia fuerit appellata. At Carolus Martellus ex his Francis oriundus, quos orientales uocant, Tongros, Eburonesque, et alios his finitimos populos hereditario iure possedit, præfecturamq; totius Galliæ bellicæ uirtute promeruit: cui Pipinus filius in opes, dignitatemque successit, et Zachariæ pontificis auctoritate in locum Chylderici Galliarum Regis, quem glo. in. d. c. Venerabilem, per iniuriam Ludouicum nominat, est suffectus. Nam Chyldericus ob inertiam, et quod raro in conspectum suorū prodibat, regno deturbatus in mona

sterium obtrusus est,ut.c.alius.xv. q.vi.erat enim eo tẽpore Gallorũ regũ mos,q prius fuerat Persarum:ut se se uix ulli spectandos exhiberent. Caeterum Stephano Pontifice authore,in Carolum Pipini filium a Bizantinis principibus Imperium est trãslatũ:ut.d.c.Venerabilẽ: cuius uerba sũt haec. Apostolica sedes Imperiũ in psonã magnifici Caroli a Graecis trãstulit ad Germanos. Et ĩ Cle. Romani:de iureiu.ecclesia inqt a Graecis Imperiũ trãstulit ad Germanos. Haec si glossematum scriptori aliiq; canonũ ĩterpretes accuratius legissent,nullus errori locus foret relictus.nec.n. nego quosdã ex Gallorum regibus olim imperasse:sed imperium a graecis in Gallos aliquando esse translatum, id uero pernego. Verum ut ad seriem narrationis reuertar,Primus Germanorum Carolus cognomento Magnus summum principatum est adeptus, deinde salutis anno.M.ii.Gregorius.v.de eligendo Imperatore sanctionem tulit Otone.v. (qui tunc imperium tenebat)non refragante: ut scilicet solis Germanis liceret principem deligere:Qui Caesar, et Romanorum Rex appellatus,tunc demum Imperator,et Augustus haberetur. cum Romani põtificis auctoritas accessisset,eamq; eligendi facultatem cõcessit tribus Archipraesulibus Mogũtino, Treuerẽsi,et Coloniẽsi,quatuorq; princibus:Marchiorni Brandeburgensi, Comiti Palatino,Duci Saxoniae,et demum Regi Boemiae:apud quos in

hunc usq; diem Principis deligendi omne ius resi det. Ex hac historiarum serie neminem latere potest, ecclesiæ licuisse legem præscribere futuris Imperatoribus ab ipsa ius habentibus, iuraq; ueteris imperii immutare: cum Germanicum Imperiũ, nõ tam dicatur succedere in locum prioris, quam ecclesiæ illud transferẽtis. Nec Antistites, Principesque Germaniæ aliunde quam a Papa ius, potestatemq; Imperatoris eligendi obtineant. Vt est glo. ualde memorabilis, in. d. c. in apibus, cuius uerba sunt hæc, Qui dicit Imperatorem nostrum iurisdictionem habere sine Papa: dicit nos Imperatore carere. Vnde sequens est ab eo usq; tempore, quo imperium ab oriente in Germaniam fuit translatum Græculum illum non fuisse uerum, nec legitimum Imperatorem, cum rationi repugnet duos simul rerum summa potiri. d. c. in apibus. nam si sunt multi, erũt multa capita, quasi monstrum de offi. ord. c. quanto, nisi ambo unius uicẽ obirent. l. diui fratres. C. de iure patro. et si aliquando plures imperitarũt, id contigit (ut scribit Archi.) uiolenter, et de facto. Non est igitur cur curiosi, et qui plusq̃ oportet, sapiunt, mirentur: Imperatorẽ omne illud ius, quod in Pontifices, aliosq; sacrorũ ministros tot seculis exercuit, ab se, ut fas, piumq; erat, penitus abdicasse. ut. lxiii. dist. c. ex his. cum non dominus, sed filius ecclesiæ, et sit et appelletur. c. qs dubitet xcvi. distin. et. xxiii. q. viii. c. cum mirum. Ea pro-

pter super his quæ spiritalia sunt, nec iuris quicq̃ habet/nec immunitates cuippiam/uel etiam diplomata dare potest. Vt ē glo.in.c.ueniēs de rest.spo. et in Cle. Romani/de iureiu. Vtcunq; .n. se res habuerit in uiolēto illo priscorum imperio, nostrum certe a sede Apostolica sumpsit exordium, eiusque solius auctoritate nititur/ nec extra ecclesiã est Imperium. xxiiii.q.i.c.sed illud. Hoc est in causa cur Imperator in uerba Pontificis iurat: et iusiurandũ (quod fidelitatis appellant/)ei præstare compellitur: ut c. tibi.lxiii.dist.ab eoque iniungitur / consecratur, approbatur/et coronatur: ut.d.c. Venerabilem: et per Hostien.de sacra unc.in sum.§. qualiter/et a quo. Et ne prioribus hæc male coherere uideantur: nil prohibet simul dicere, potestatem imperatoriam a Deo quidem emanare: ut.d.c. Verũ. Sed nihilominus etiam a Pontifice deriuari, non ut est homo: sed ut Vicariam in terris Christi personam gerit.

An ex sola electione Cæsar ius plenissimum Imperandi consequatur.

h Hinc illa orta est dubitatio multum, diuq; inter recentiores uariantibus sententiis disputata / ex sola ne electione imperii ius potestasque deferatur: an eum inungi/ approbari, coronarique prius oporteat / quam ex

augustali illo solio legem humano generi praescri bere possit. Qui ad põtificem summam rerum de ferunt, eiqꝫ omnia tã diuina: q̃ humana subiiciunt. Vt. lxxx. dist. c. si imperator/ remis/ uelisqꝫ conten dunt electionem ius quidem imperatori designa- to: sed inefficax/ et sicuti gladium in uagina recon ditum tribuere: at ut eum educere / ac perstringere possit, e sola Põtificis authoritate, approbationeqꝫ proficisci. Hęc sentẽtia magnos assertores inuenit: ut Hostien. in summa, de uerbo. sign. §. super qui bus, et in sum. q fil. sint legi. §. fi. de elec. §. et a quo cõfirmanda/ et Spec. Ioã. And. atqꝫ alios plerosqꝫ, qui omnem mouent lapidem: ut id nobis omnino persuadeant, . nec solum authoritate sacrorum ca nonum pugnant: sed argumentorum quoqꝫ iacu la in repugnantes cõtorquẽt. Non potest, inqunt, esse perfectum, cui particula aliqua deest, ut in . v. transmunda. philo. libro. tradit Arist. Sed ante in unctionem, coronationem/ caeteraqꝫ solẽnia in con stituẽndo imperatore fieri solita, pars aliqua impe riali fastigio deest, alioqn haec ipsa supflua essent, et ridicula: nõ est igitur perfectum. Hoc posito cõ sequẽs est: Imperatorem nõ ea posse praestare/ quae meri, absolutiqꝫ sunt imperii: posset autem si in iu re dicendo potestatem libere exerceret: cum omnis maiestas imperii in hoc uno cõsistat ;l. fi. C. de le- gib. Insuper nemo quippiã agit/ moliturue anteq̃ oriat̃: et sit/ ut. ff. de colla. bo. l. i. et de noua. l. quo-

tiens. Sed Imparor in ipsa coronatione dicitur ori ri. C. de feriis. l. omnes / uel ortus inquit imperii p tulerunt: ergo priusq̃ coronetur / ea peragere neqt, quæ ad imperatoris officium pertinent. Præterea ut in naturalibus, unaquæq; res tria continet / substantiam, uirtutem, actionem, quæ adeo inuicem coherent: ut actio non nisi a uirtute proficiscatur, nec uirtus nisi a substantia, ut docet Aueroes. vii. Metaphy. Propriũ siquidem est Dei nulla extrinsecus accersita uirtute per solam substantiã agere, quandoquidem Dei substãtia uirtus ipsa est. Itidẽ in moralibus, quo ad præsens negociũ attinet, tria hæc electio / confirmatio / administratio / sic indissolubili nexu uinciuntur / ut sine pernitie diuelli, separariq; nequeant. Electio locũ substantiæ tenet / cõfirmatio uirtutis / administratio actionis. q̃nquidẽ per electionẽ Imparor / generatur / p confirmationem uirtutẽ acquirit / per quam agat / per administrationem assequitur ipsum agere, atq; operari. Ex quibus necessario efficitur: ut Imperator sola ex electione administrare non possit, nisi prius confirmationis uirtus accesserit. Ad hęc accedit auctoritas. d. c. Venerabilẽ, ubi scriptũ est ius, et potestas examinandi electum in Regem, et ad Imperium promouendum, et in Cle. Romani. ius, et potestas eligendi Regem, in Imperatorẽ postmodum promouẽdum: quibus ex locis deprehendi põt duos esse in Cæsare, quasi dignitatis gradus: Vnũ qua-

tenus est Rex, Alterum quatenus Imperator pro mouendus. Sed cũ duo gradus inuicẽ iunguntur quorũ ea natura est: ut ordine pfectionis alter alteri succedat, qui inferiorẽ tenet, ad superiorem scandere non debet, ut diaconus ad ea, quæ uel Episcopi, uel presbyteri .xciii. di. c. diaconus. Ex qua graduum successione cõstat eum qui in primo Regis gradu collocatur, nondum sublimitatis imperialis gradum posse attingere, quod plane declarat Nicolaus .ii. c. in nomine domini . xxiii. distin. ubi ait, filius noster Henricus, qui in præsentiarum Rex habetur, et futurus Imperator, Deo concedente speratur, dialectica sunt hæc, atq; in exercitationem argutiarum sæpe iactata.

Rationes quibus conuincitur ex sola electione aliquem fieri uerum, et legitimum Imperatorem.

h Is inuolucris nobiscum agunt, qui iura imperii labefactare student: aduersus quos nulla certior uictoria est speranda, quam si eos suo quẽq; gladio iugulemus: ut sic saucii, et exanimes fateri cogãtur, sola ex electione rite legitimeq; facta quẽlibet uerum certumq; Imperatorem, et esse, et nominari, posseq; toto (ut aiunt) annuente Cœlo quæ ad munus Imperatorũ attinẽt

ſuo arbitratu exercere. Nõne Pontifex anteq̃ co-
ronetur ſuo officio per omnes numeros fungi ſo
let, quinimmo ſi quis eo prætextu literas ponti-
ficias oppugnat, a ſacris myſteriis, ut impius et pro
fanus arcetur, ut in extraua. Benedicti. xi. quæ in-
cipit, quia nõnulli. Quid quod Inno. Pontifex in
c. licet de elect. decernit: ex ſola electione Pontifi-
cem continuo Apoſtolicæ Cymbæ gubernaculũ
apprehendere, nec ullius cõfirmationis egere. Q đ
ſi imperium, et ſacerdotium parum admodum
differunt, ſi ex eodem fonte ambo profluxerunt,
ſi eodem itinere progrediuntur, proculdubio de
utroque idem eſt ſentiendum. Et eapropter Im-
perator perinde: ut Pontifex eligendo confirma
tur. c. in noīe domini. xxiii. diſt. nulloq; eſt opus
adminiculo, ut Imperatoriũ munus obire poſſit.
Quid uero in re perſpicua tantum operæ poni-
mus: cum ille idem Pontifex, necnon certiſ-
ſimus Canonum interpræs Innocen. omnem
ſcrupulum ex animis exemerit: qui in. c. Ve-
nerabilem de electio. uerba hæc aſcribit. Credi-
mus tamen, quod ſi Imperator Coronam in lo-
co debito accipere non poſſit, nihilominus au-
thoritatem adminiſtrandi ab Archiepiſcopo Co
lonieñ. poſſit recipere, uel ſua authoritate quam
habet ex electione ſine ulla coronatione miniſtra
re: at Ioan. Andr. alterum iuris Pontificis iu-
bar in. c. Auaritiæ, de electione libro ſexto:

et in.d. Cle.i.nõ solum huic sententiæ subscribit: sed etiam addit ita de iure esse, et consuetudine a Pontifice tolerata, cui standum est. In hanc senten tiam Iac. de Are. Imol. Butrigarii Bal. Albe. deni= que tota iuris Cæsarei schola cateruatim transit. Sed ne qui pro cõtraria factione stant: uel uerbum unum amplius hiscere audeãt, ratiocinatiões quas dam ex cõmuni usu diuturnaqꝫ expientia ductas in medium proferam: quarũ prima sit hæc. In prin cipatu omnium maximum est legem condere, soli enim imperatori in supremæ potestatis prærogati uã id competit. C. de leg. l. fi. Sed legem potest, si= mul atqꝫ ẽ designatus cõdere: Quod ĩ diuo Maxi miliano nos ipsi obseruauimus, et Antoninus Pius Imp. his uerbis testat̃: de his oĩbus diuus Pr̃ meus ingrediens mox principatum, cõstitutiones, hono res, et immunitates certificauit. l. sed et reprobari ff. de excu. tuto. quãto igitur magis, quæ minoris momenti habent̃ eius erunt in potestate, per regulã non debet. Præterea si prelatus trãsmontes electus hac gaudet prærogatiua: ut sola ex electiõe ius ad ministrandi acquirat. c. nihil, de elec. quanto id iu= stius, rationabiliusqꝫ de Imperatore, qui transmon tes eligitur statuendum est. Ad hæc, electio comi= tiis Germanicis celebrata illi successit, ꝑ qua olim populus Ro. suffragia ferebat, illius ergo naturam induere debet, insti. de actio. §. fuerat, et de donati. §. qui id qđ. At ex ea nullo adminiculo extrinse

cus accersito sũma potestas in principẽ cõferebat̃, ut. s. qđcũq; cõstituisset foret ratũ. ff. de origi. iur. l. ii. et. c. legimus. xciii. di. idẽ igit̃ ex hac ipsa Germanica confertur. Qđ si contraria sentẽtia uincat in quasdam angustias, et quasi Labirintos incidemus, cum sub Romanis Põtificibus (ne uetustiora repetã, pleriq; fuerint Imperatores nec inuncti, nec coronati: recẽti uero memoria Albertus, et Maximilianus sine ulla Põtificis approbatione imperii munus egregie obierunt, quorum oĩum res gestæ, si secundũ aduersarios lis daretur, nihil uiriũ, nihilq; firmitatis obtinerent, sic leges ciuiles, sic limites cuiq; ꝓuinciæ designati, sic principatus uel in feudũ, uel alio noie quesiti, et id genus pleraq; radicitus tollerentur. Sed hanc repugnantiam rerum, sententiarumq; non tenent qui ueteres Cæsarum historias non tenent.



Constitutio Ludouici Baiouari Imperatoris de imperii iuribus, et excellentia.

h Ac de re magna fuit olim colluctatio pontificatu Ioãnis. xxi. et eius successoris Benedicti. xii. cũ Ludouico Duce Baiouariæ Imperatore designato, demum omni ambiguitate per sacrarum litterarũ Antistites mature, solerterq; discussa. Ludouicus legẽ sanciuit, promulgauitq;, quam ad uerbum his adieci, ne quis in eo amplius

aberret,in quo omnis Imperii dignitas/ maiestaſq; continetur. Licet iuris utriuſq; teſtimonio manifeſte declaretur imperialem dignitatem, et poteſtatem immediate in filio Dei ab antiquo proceſſiſſe, et Deũ per Imperatorẽ,et Reges mũdi, iura humano generi aperte tribuiſſe/atq; Imperatorem ex ſola electione eorum ad quos pertinet uerum effici Imperatorem,nec alicuius alterius egere confirmatione,ſeu approbatione,cum in terris quo ad tẽporalia ſuperiorem nõ habeat. Sed eidem gentes ſub ſint,et nationes:et ipſe dominus noſter Chriſtus mandauit,quæ ſunt Dei Deo/quæ Cæſaris Cæſari reddenda/quia tamen nõnulli auaritiæ/ et ambitionis cecitate ducti:diuertentes a tramite recti ſenſus,in quædam iniqua,et praua commenta,et aſſertiones deteſtabiles prorumpunt,fallaciter aſſerentes imperialem dignitatem,et poteſtatem eſſe a Papa:electumq; in imperatorẽ non eſſe uerum Imperatorem,nec Regem niſi prius per Papam, ſiue ſedem Apoſtolicam confirmetur,approbetur, et coronetur. Per huiuſcemodi aſſertiones, et peſtifera dogmata hoſtis antiquus mouet lites, iurgia suſcitat, et ſeditiones procurat. Ideo ad tantum malum euitandum,de conſilio,et conſenſu Electorum,et aliorum principum Imperii,declaramus imperialem dignitatem,et poteſtatem a ſolo Deo pẽdere:eſſeq; tam de iure,quam de conſuetudine approbatum/ut poſtquã aliquis eligitur in Imperato

rem siue regem ab his quorum interest, statim ex sola electione, sit uerus Rex, et Imperator Romanorũ censendus, eidẽq; ab omnibus Imperio subiectis est obediendũ: cũ administrandi ius, cæteraq; faciendi, quæ ad uerũ Imperatorẽ pertinent, plenariam habeat potestatẽ: nec Papæ siue sedis Apostolicæ, aut alicuius alterius approbatione, cõfirmatione, authoritate, cõsensu ue indigeat. Et eapropter hac in ꝑpetuũ ualitura lege decernimus: ut electus in Imperatorẽ cõcorditer, uel a maiori parte electorum, ex sola electione cẽseatur/et habeat̃ ab oĩbus pro uero, et legitimo Imꝑatore/et eidẽ ab oĩbus subiectis Imꝑio debeat obediri, cũ administrationẽ, et iurisdictionẽ imꝑialẽ/ et imꝑialis dignitatis plenitudinẽ habeat, et ita habere/et obtinere ab oĩbus censeatur/et firmiter asseratur. Quicũq; aũt cõtra hæc declarata decreta, uel diffinita/aut aliq̃d eorũ asserere/aũt dicere/aut asserentibus/aut dicentibus cõsentire/uel eorũ mãdatis/uel literis/uel pręceptis obedire præsumpserint, eos omnibus feudis, q̃ ab Imperio detinẽt, et oĩbus gratiis/ iurisdictionibus, priuilegiis, et immunitatibus a nobis uel prædecessoribus nostris concessis ex nũc priuamus, et ipso iure, et facto decernimus esse priuatos. Insuper eos crimẽ læsæ maiestatis ĩcurrisse, et pœnis oĩbus ĩpositis crimẽ lęsæ maiestatis cõmittẽtibus subiacere. Datũ in Coloniẽsi ciuitate Alemaniæ die &c. Quibus igit̃ cruciatibus Oldradi manes torqueri credi

mus, q̃ ĩ quodã suo nõ tã cõsilio, quã cõuitio adeo petulanter in Cæsares debacchatur: ut omnem eorum authoritatem radicitus euellere studeat, quos non modo Regibus: sed uel plebeis magistratibus post ponere audet, quo quidem nomine arguitur et Imperii calũniator impudẽs / et de sede Apostolica non benemeritus. Cum. n. Imperator sit defensor libertatis / propulsator iniuriarum publice priuatim / moderator / pater / custos / unus, Oldradus mortalium omnium nequissimus est repertus, qui defensorem libertatis / propulsatorem iniuriarum / moderatorem / patrem / custodem / proscindere, et sugillare non est ueritus / qui et dum in humanis ageret / ut publicus paricida / ut maiestatis reus culeo erat insuendus: et nunc uita functus / perpetuo, ac inextinguibili furiarum igne, proculdubio exuritur, in æternumq; exuretur.

Rationes efficacissimæ / quibus conuincitur ex Coronatione nihil noui iuris Cæsaribus accedere.

SEd ut in uiam redeã, uno simul ore, pariq; cõsensu omnes legum interpræres statuũt hæc quæ ad Coronationẽ attinẽt fieri magis honoris et officii causa, quã uel necessario, uel ut ex hac actione quicquã Cæsaribus accedat. In quouis enim fere actionum genere q̃dã exigũtur ad rei (ut nunc loquimur) quiditatem substãtiãq; /

quædam uero ad solẽnitatem, quæ quidem distin ctio ad id de quo agimus, adamussim accõmoda tur, siquidẽ electio solum. Ad Imperatoris substan tiam pertinet, ad solẽnitatem reliqua, ut confirma- tio, inunctio, consecratio, coronatio. d. c. Vene- rabilem de elect. d. Cle. i. de iureiu. At Imperator quo ad ea, quæ solennitatis sunt: perinde atque Pontifex solutus est legibus. l. digna uox. C. de le gi. Vnde efficiť ad ius Imperii cumulatissime asse quendum solam electionem, quæ substantiæ locũ obtinet per se sufficere. Hæc traditio quia uera est, quadrat ubiq;, et tota sibi constat. Et si qua forte repugnare uidentur: facile uel ex hoc ca pite dilui possunt: quod erubescendum est illi, qui super his, quæ lege aguntur, sine lege loqui audet, in auctẽ. de trien. et semiss. §. consideremus colla. iii. l. illam C. de colla. Nulla autem lege cauetur Imperatorẽ designatum esse confirmandum: nam. c. Venera- bilem de elect. quod aduersarii tanq̃ telum acerri- mum in nos contorquent, ne uerbum quidẽ unũ de confirmatione facit. Recognoscite quæso me- cum dicta Inno. in eo. c. ius inq̃t, et authoritas exa minandi personam electam in Regem, et promo- uendum in Imperatorem, ad nos spectat, qui eum inungamus, consecremus, et coronemus. Si quis hæc accuratius rimari uoluerit: manifeste depre- henderr, ea cuncta Imperatori designato licere q̃ electus confirmatus ante consecrationem assequi

tur, et constat illi omnia licere: quæ sunt iurisdictionis. c. nostri. c. transmissa de electio. Quid qđ nullo in loco cautum reperitur, Ecclesiam translationis tempore eiusmodi legẽ Imperio præscripsisse. Sed nec uideo cur quippiã super ea re potuerit sancire, iurave Imperii labefactare. Nec illud officit, qđ ante Coronationem appelletur Rex Romanorũ et perinde nequeat usurpare Imperii nomẽ, gubernacula ue, quãdoquidem hæ duæ uoculæ Rex Romanorum, et Imperator, Idem omnino ualent et synonimæ sunt, ut liquido constat ex uerbis. d. l. bene a Zenone, et. C. ut nemo priuatus. l. i. i utraque scribitur promiscue, et Imperialis maiestas, et regale culmen. Immo aduersarii, qui sacra profanis cõmiscent: ut nos e gradu deiiciãt argumentorum inopia eo confugere coguntur: ut pleraque proferant, quæ in rem nostrã maxime faciunt. Nã si post electionem uocatur Rex Romanorũ hoc certe iuris habet: ut regat. ff. de uerbo. sig. l. Tugurii: id igitur poterit, quod Imperator, hoc est quod scribitur. l. i. ff. de offi. pref. preto. regimẽtis reipub. in principem trãslatis, simul. n. atq; Germanorum suffragiis est designatus: efficit̃ uerus, et legitimus Imperator, et inde incipiunt imperii anni fluere: ut in aucten. ut præpo. no. Impe. §. i. col. i. prima inqt die qua deus nos Romanorum præposuit rebus, atque eodem temporis uestigio potest quæcunque sunt potestatis imperialis implere: ut est tex.

et ibi Bal.in.i.constitu. Sed quamuis ex unctione / consecratione, Coronatione nihil Cæsareis rebus accedat, non hæc tamen, aut ut leuia paruipendi, aut ut superflua reiici debent: cum eam uim habeant: ut sancti spiritus munera conferant, augeaturque interius quod exterius unctio præsignat, ut Hostien. de sacra unct.c.i.et.lxv. dist. c.i. At Innocen.in.d.c. Venerabilem, affirmat hoc solenne infularum ĩprimis duo præstare. Vnum ut ex Rege Imperator efficiatur / Clemen.i. de iureiuran.glo.l.ex eo.ff.de testam.mili. Alterum ut diuini spiritus illapsu sanctior, atque augustior euadat: ut glo.d.c.Venerabilem. Lege autem ueteri quatuor rerũ genera inungi solita esse (author est diuus Tho.) Reges, scilicet sacerdotes, prophetæ, et uasa templi. Nec unctio Regum est sacramentum, et ideo diuersum in modum, prout cuiquæ prouinciæ sua est consuetudo / fieri potest / uel oleo in scapulis / uel Chrismate in capite, ut idem Thom.iiii. distin.xxiii. Tradit Hostien.de sacra unctione.in.c.i. et de priuileg.in.c.antiqua. Imperatorem inungi oleo in capite a Pontifice, ut Saul inunctus est a Samuele, et Salomon a Zedech, et Nathan prophetis / item alii Reges ab aliis. Sed Dauid ter inunctus perhibetur in Regem, in signum triplicis uictoriæ: ut eleganter tradit diuus Tho. super psalm. xxvi.

Nibil admodum referre Romæ ne aurea Corona, an alio quouis in loco accipiatur.

e X his, quæ hactenus disseruimus non tam coniectari, quam intueri licet, hæc insularũ insignia ubisuis locorum: ut Cæsari, Pontificiq; libuerit conferri posse. Nam et si locus huic muneri obeundo sit in Vrbe Roma constitutus Clem. Romani de iureiu. et. d. c. Venerabilẽ, si alibi, tamen peragatur, nec robur amittit, nec ei quod legitime obsit, quicq̃ obiici potest. In hanc sententiam uniuersi fere legum atq; etiam canonum interpretes manibus, pedibusq; trãseunt: inter quos Inno. in. d. c. Venerabilem Bal. et Albe. in. d. l. bene a Zenone, Guil. ac Ioan. And. in. d. Clem. i. de iureiu. qui omnes uelut publico edicto decernunt imperatorẽ, licet Romę uideatur coronandus, alio tamen in loco posse hoc munere fungi: quia locus (ut usitatis cõmentariorum uerbis hac quoq; in parte utar) non est de substantia, nec de forma actus. Sed modus tantum. c. fi. de rest. spo. Idẽ approbant Lau. et Card. in Cle. tam sæpe repetita cuius uerba hic adieci. Licet sup altari in ecclesia sancti Petri Imperator consecretur, et coronetur, et iure t, tamen hoc non est de substantia, quin possint hæc alibi fieri. Idem sentit Albe. in suo indice uerbo corona. Vbi ait Imperatorem triplicem coronã recipere, primam argenteam in Alemania, ferream

in Modoetia comitatus Mediolani,et aureā in diuersis locis. Quod si quem parum mouerint tot iuriscon sultorum suffragia: ille his saltem argumentationibus acquiescat. ad Coronationis munus absoluendum triplici opus est corona: diuersis in locis certo modo/ordineq; capescenda: ut glo. in. d. Cle. i. Sed olim Imperator primo coronabatur ferrea, deinde argentea/postremo aurea Corona: ut glo. d. Clem. et Albe. in suo indice. postea ordine immutato argenteæ primus locus erat, et modo hæc modo illa: ut casus tulerat/ pmiscue, et sine delectu exhibebatur: ut idem Cardi. in eadē Cle. unde efficitur/ut qua lege hic ritus, aliquando immutatus est quo ad ordinem, et genus Coronarū eadem quo ad locum immutari possit/ et cū ratio diuersitatis nulla sit de utroq; idem est sentiendū l. i. ff. de uerb. ob. Ad hæc ut scribit glossator in. d. Cle. i. quamuis ex ueteri instituto secunda Corona sit exhibenda in oppido Modoetiēsi, tamen sæpe tradita ē Mediolani ī Aede diui Ambrosii/ nec eam ob causam coronatio fuit irrita: ut glo. exemplum. affert in Henrico Imperatore. Idem igitur de tertia est sentiēdū quæ Bononiæ uel Perusii data, nec detrimentum affert/nec minus roboris habet: cum ratio nulla sit: cur obseruatio hæc potius in una, quam alia possit uariari. Non inficias eo a recentioribus reprehendi glo. in. d. Cle. et quo ad locum/et quo ad genus coronarum: negant enim

alibi q̃ Mediolani, et ante Aram diui Ambrosii. Secundam Coronam nũquam fuisse susceptam, eamq; esse ferream, sed quæ in Germania exhibeatur, auream esse. Cæterum tam glo. quam interpretes hac in parte allucinantur: cum per tot annorũ curricula Mediolanensis illa ex usu fuerit sublata, licet, ut aliquid antiquitatis uestigium extaret eã Pontifices Romæ, aliquando exhibuerint. At in Germania perinde; ut Romæ corona aurea Imperatorem insigniri illa, scilicet eadem, qua Carolus magnus primo usus est: ipse ego certissimus sum testis, qui nono ab hinc anno tuæ coronationi Carole. V. nõ solum interfui, sed cum per id tempus apud te Ludouici Pãnoniæ Boemiæq; Regis oratorem agerem, ad quem ius eligendi spectabat, ẽt præfui. Verum ut eo reuertar, unde aberrauit oratio, Si ad solẽnitatẽ coronationis triplex exigitur corona, una nõ magis omitti potest, quam alia, cũ solẽnitas, et forma dicantur esse quid indiuiduum ut. l. hac consultissima. C. qui testa. fa. poss. quod si antecedens interimes, totum interimes. Sed aliquando in prioribus coronis, tam quo ad locum, quam etiam ordinem, ea solẽnitas fuit omissa, ímo aliquot iam sæculis Mediolanensis illa omnino sublata, nec id obfuit coronationi. Vnde necessario efficitur, ut neq; quo ad tertiam omissio præsertim loci quicq̃ officere possit. et maxime accedente causa iusta, et mutuo amborum principum

consensu: cum alioquin ob utilitatem publicam solennitas lege uel moribus præscripta possit omitti. Vel(quod inter omnes conuenit)uariari: ut sentit Sali. et alii. l. fi. C. de iureiu. Adde qđ, ut antea diximus, coronatio non est necessitatis, sed officii, parumque admodum commodi affert, ut refert Bar. in. d. extraua. ad repri. quapropter non tam mutari, quã oĩno tolli sine ulla iactura potest, et præcipue ratione loci, cum locus nullius negocii uel formam, uel substantiam attingat: sed ad solennitatem dũtaxat pertinere uideatur. Hac in qõne noscere oportet: licet solenne id significet, quod singulis annis fieri solet: ut Cerimoniæ solennes, et solenniorum festa Iurisconsultos tamen uim huius uerbi alio traduxisse: apud quos dicitur solẽne, et solẽniter fieri, ubi ritus cõsuetudoq; in cõtractu, iudicio, alioue negocio adhiberi solita obseruatur. l. sciendũ. ff. de uerborũ obli. unde ducta est uox solennitas eodẽ pene significatu Cle. sæpe de uerbo. signi. et illa est duplex una grauis altera leuis appellatur. l. manumissio. ff. de manu. uin. illa dicitur leuiuscula solennitas, quæ præter missa, uel substãtiã rei non immutat. l. i. ff. de exercito. act. uel parum admodum detrimenti affert, ut Bar. et Ange. Are. in. l. ii. ff. de uulga. et pupil, et huius omissio nulli actioni officere potest: ut. l. i. ff. de uen. inspi. quæ aũt dicitur grauis solẽnitas non nisi a principe tolli, aut immutari potest. l. et si ni-

hil. ff. de regul. iur. l. diuus. ff. de in integ. resti. ideo et si demus ex forma, et graui solẽnitate postulari: ut aurea corona Romæ exhibeatur, tamẽ teste Hostieñ. in sum. de elec. §. quãdo. acta Principis ex carentia formæ, et solẽnitatis non labefiunt, sicut nec sentẽtia a Principe non sedẽte, neq; in scriptis lata, quãuis utrũq; ut sententia subsistat, uelut eius forma, et substantia exigatur, ut. C. de senten. ex peri. reci. l. statutis. Nec. n. quæ a Põtifice Cæsareue geruntur ullius formæ, solẽnitatisue indigentia abrogari debent, ut per glo. in. c. quando de trãsla. epi. quæ affirmat Papam (mirum dictu) naturam rerũ immutare: substantiam unius rei applicando alii, C. cõmunia de lega. l. ii. atq; ex nihilo aliq̃d facere. C. de rei uxoriæ actio. l. una. nonne igitur ipsius atque etiam, Imperatoris potestas latius patebit, quam ut ullis formularũ augustiis coarctetur? Adde quod hæc Coronatio a iure, quod positiuũ uocant: ortum ducit. cui dubio procul, nec Papa: nec Impator est alligatus. cũ ambo, usq; adeo ius positiuũ ĩ potestate habeãt: ut illud ꝑ nutu, uel ĩmutare uel omnino tollere possint. c. ꝓposuit de cõcess. preb. q̃ppe cũ Deus utrisq; leges subiecerit in auct. de consu. §. fi. col. vi. et legum parentes censeãtur l. dubitandum in aucten. de incest. nup. Nihil est igitur mirum, si hæc coronãdi, institutio, tam quo ad ordinem, quam quo ad locum plerũq; aliter atque aliter ĩmutata fuerit. Præterea cũ sacerdotiũ,

et Imperium eadem ex origine defluant, pariq; iu/re censeãtur/quicquid in unius celebritate est ob/seruatum, ad alterius quoq; referri potest. Sed quã uis Vrbs Roma sit locus coronationi Põtificię statutus, pleriq; tamen ex Pontificibus aliis in ciuitatibus, atq; etiam prouinciis corona decorari maluerunt/ut Gregorius. x. in Vrbe Viterbi est ea donatus. Celestinus. v. Perusii Põtifex designatus, Cardinales Coronæ suscipiendæ causa, usq; ad Vrbẽ Aquilæ acciuit. Clemens. v. Perusii pariter factus, extra Italiam Lugduni Coronæ ornamenta suscepit, et alii aliis in locis/ quandoquidem: ut uulgo dicitur, ubi est Papa et Imperator, ibi est Roma, et curia. c. ego/de iureiur. et Abb. in. c. fi. de fo. cõpe. Quanti uero illud est faciendum, quod cum ex canonum præscriptione, electio Papæ eo in loco sit celebranda: ubi prior uitam cum morte cõmutauit. c. ubi periculũ de elec. li. vi. Cle. ne Romani de elec. Tamen si alibi fiat stabilis, incõcussaq; habet. Quoniã locus nec ĩ eligẽdo Põtifice/ nec quauis alia in actione (ut cõcludit Hostiẽ. Goffre. Archi. reliquiq; canonum Antistites, quos Pe. de Ancha. in. d. Cle. Romani, refert/et sequitur) est de necessitate: ut (eorũ uerbo utar) præcisa. Sed solũ ad bene esse. Nihil tamen ambigo, si quis superiorum temporum annales accuratius euoluerit eum facile reperturum quosdam Imperatores alibi quam Romæ corona aurea fuisse redimitos: sed cum ius fi/

nitum sit prudentes fallere non potest, facti autẽ interpraetatio plerunq; etiam prudentes fugit: ut. l. in omni. ff. de iur. et fac. igno. Forte quis mihi obiiciat Clementem. v. qui Auenioni degebat, iussisse Henricum Lucemburgum Imperatorem designatum Romam coronae accipiẽdae gratia proficisci. Enimuero quisquis illorum temporum historiã expenderit, facile intuebitur, Clementem non id egisse temere, nec absq; causa: sed nec qd' nõ aeque Auenioni, atq; Romae eum corona donare potuerit. Verum ut tumultus Italici, qui passim in Hetruria, et agro Piceno exarserant eius in Italiam aduẽtu sedarentur. Quod refert Platina in uita ipsius Clementis: eodem inquit tempore Henricus Lucẽburgus a Germanis Imperator electus, hac quidem lege a Pontifice confirmatur: ut infra biẽniũ coronam Romae habiturus Italiam ingrederetur, hoc autem animo id egit Pontifex: ut Imperatoris aduentu motus italici comprimerentur. Extremũ illud est, quod nullo canone uel lege sancitum puto, ut ordo aliquis tanquã forma, et substantia exigat̃, cuius omissio ipsã coronationẽ labefactet. Demus si placet, ut coronatio sit necessaria: de quo quid maiores nostri senserint, supra retuli, is tamẽ ordo, qui potius ex cõmentariorum libris, quã iure aliquo eruitur, non est necessarius, aut, ut aiunt, de substantia actus: et praesertim ratione loci: tum quia nullo iure cauetur coronationem alibi

45

quam Romæ factam robur non obtinere: tum quia nulla in actione locus ut forma substantialis exigitur, Nec ulla lex, aut canon super ea coronatione editus loquitur, aut prohibendo, aut cũ clausula decreti irritantis: aut per uerba ablatiui absoluti, uel alia uerba: quæ de sui natura solent substantiam, formãue indicare: de quibus per iuris interpretes. c. cũ dilecti de elec. et i. l. i. ff. de lib. et post. Ergo omissio huius ordinis, lociq; immutatio non redit coronationẽ mancam, nec inanem, si modo ab idoneo aliquo, utpote a Pontifice max. eiusue legato celebretur: ut. d. c. Venerabilem: et. d. Cle. i. et. d. c. Adrianus. Quãuis Imperio nondũ de Græcis in Germanos trãslato coronãdi munus ad præfectũ Vrbis spectaret: ut sentit Bar. in. l. i. ff. si quis testa. lib. esse iuss. fue.

De christianis Imperatoribus, et quid Cõstantinus ecclesiæ Romanæ contulerit.

Tradit Inno. æquissimus in asserenda Pontificis Imperatorisq; potestate uindex, qui uelut in Critolai trutina utriusque copias et facultates expendit. Tres Imperio Romano præfuisse, qui de sede Apostolica, quamoptime meriti sunt, Constantinũ: de quo in. c. Constãtinus. xcvi. di. deinde Iustinianum sanctissimarũ legum promulgatorem. postremo Carolum magnum: de quo in. c. Adrianus. lxiii. dist. Sed Carolus. v. sub cuius ductu, felicibusq; auspiciis Chri-

ſto militamus/tanta eſt (quod ſine ulla adulatio-
nis ſuſpitione dictum uelim)in ſedem Apoſtolicã
pietate, obſeruãtiaq;:ut tribus his,uel æqualis,uel
multo etiam(a uerbo abſit inuidia)ſuperior eſſe ui-
deatur: Cuius munificẽtia,incredibiliq; animi ma-
gnitudine effectũ uidemus:ut ſummus Pontifex
a tot fluctibus,uel uerius naufragiis ereptus/in pa-
catiſſimũ qetis portũ ſit delatus. Atq; ſedes Apo-
ſtolica Vrbis Romæ dña, et Regina optimo iure,
et ſit/et habeatur. Quod nequis minus conſidera-
te dictum putet hiſtoriam priſcorum Cæſarũ pau-
cis attingam. Ex Imperatoribus duo Philippi, pa-
ter et filius omnium primi Chriſtianum nomen ac-
ceperunt anno ſalutis.ccxc.poſt quorum infelicẽ
exitum/ utriq;.n.fraude Decii necati ſunt. Impera-
uit Decius maximus Chriſtiani nominis hoſtis:
qui Cornelium urbis Romæ Epiſcopũ uariis cru-
ciatibus crudeliter interemit. Ventum eſt tandem.
ad auſpicatiſſima Conſtantini tempora/quia a Sil-
ueſtro una cũ filio Criſpo ſalutaris fontis lauacro
expiatus ſub ſacroſanctæ crucis uexillo hoſtes pe-
ne innumeros ſuperauit. Sub hoc Principe q̃ anno
Chriſti.cccxxxix. Imperiũ obtinuit: Chriſticolæ
prius a Tyrãnis oppreſſi paulatim reſpirare cœpe-
runt. Cæterum quæ de illius donatione uulgo fe-
runtur/et magnos alioquin aſſertores habent/ nec
propugnare/nec oppugnare eſt animus. cum duo
eximii Sedis Rom. Cardines nõ minus doctrina/

q̃ pietate clari Nicolaus Cuſanus, et Petrus Alea-
cenſis adeo accurate, copioſeque rem omnem ex
plicarũt: ut nihil ſupra addi poſſe uideat̃. At Pius
Pontifex ſedulus rerum uetuſtate inuolutarũ in-
dagator in nobili illo Dialogo, quem ante Põtifi
catum in Germania edidit, Paleæ ſcripta de Con
ſtantino, ut ſubdititia, et adulterina refellit. inuehi
turque contra miſeros, ut eius uerbo utar, legiſtas,
qui tantũ ſudant diſputando, an id ualuerit, quod
nullo unq̃ tempore fuit. Nam Laurentium Vallen
ſem miſſum facio, qui calũniandi potius, q̃ uerita
tis indagandæ ſtudio, in ſacrã Sedẽ Apoſtolicam
petulãtiſſime debacchatur, eos autem ut prius Au
thores ſequar, qui ꝓcul ab inuidia, et metu rurſus
a gratia, et amore hæc ex fide retulerunt. Ex quo
rum monumentis innotuit Cõſtantinum eccleſiã
in Vrbe Roma condiſſe in hortis Equitii, non lon
ge a Thermis Domitiani: donaq; obtuliſſe patinã
argenteam, et cyphos duos, et calicem aureũ, aliaq;
uaſa ex auro, argentoq; conflata: fundum quoque
Cornelianũ dediſſe dono in agro Sabino: et hor-
tum in Vrbe ad regionẽ duorum adamantũ. Item
domum in regione Orphea intra Vrbẽ. Reliqua
de eius donatione, et lepra, et balneo ſanguine pue
rorum redundante, paſſim decantata ſilentio præ
tereo, ne odium gratuitum mihi comparem.

Poſt mortem Conſtantini, ad quos Vrbis Ro-
mæ principatus deuenerit.

e O uero defunᵭto,ut lege quadam fatali re- gna,principatuſq;,quo ſublimius euehun- tur,eo miſerabilius ruunt/rebus Romanis paulatim in deterius labantibus: deinde funditus euerſis, Vandali/Gotti/Hũni/Alani/ Longobardi ſuo quiq; tempore Italiam innumeris cladibus, de populationibuſq; deuaſtarũt, Vrbe Roma ſæpius in prædam uerſa , aliquando et igne exuſta . Ne- mo tñ barbarorum eã ſibi uendicare eſt auſus. Sed uelut Vrbem ſacroſanᵭtam/et extra alienigenarũ cõmertium poſitam Cæſarum legibus, magiſtrati buſq; regendam omiſerunt. Nã cum Vandali/Im perante Valeriano,ex Aphrica profeᵭti Duce Gen ſerico / Vrbem diripuiſſent,incẽdiſſentq;,templis/ et ſacrariis ſpoliatis: quatuordecimo poſt Vrbem captam die cũ ingenti captiuorũ numero in Aphri cam redierunt: At Theodoricus Gottorũ rex Ita- lia domita/et ſubacta,Rauẽnę regni ſui ſedẽ fecit, Roma Imperatorũ ditioni reliᵭta . Quibus quidẽ tẽporibus inter Antiocenã/ Romanãq; eccleſiã de ſacrorum,et Põtificatus prærogatiua grauiſſima, et diuturna cõtẽtio fuit. Sed nec minus poſtq̃ Cõ ſtantinus Bizantiũ deduxit Coloniã: de eccleſiæ primatu certatũ eſt: quoad Bonifacius.iii. a Foca Imperatore obtinuit magna,tñ contentione: ut ſe- des beati Petri Apoſtoli: ſicut caput omniũ eſt ec- cleſiarum,ita diceretur: et haberetur ab omnibus: quem quidem locum ſibi eccleſia Conſtantinopo

litana uẽdicare conabatur, plerisq; affirmantibus eo loci primã ecclesiæ sedẽ esse debere ubi Imperii caput eẽt. Hactenus usq; ad Focæ. s. principatũ Vrbẽ Romam in Imperatoris potestate fuisse, ut cætera omittã, argumentũ est certissimũ. Q đ Bonifacius. iiii. cupiẽs Romæ eo loco: ubi Pantheonis tẽplum uisebatur (sic nũcupatũ, quod Cybeli matri, et omnibus diis cõmune esset) delubrũ in honorẽ ĩtemeratæ Virginis extruere, necesse fuerit ei facultatẽ edificandi a Foca obtinere, adeo Põtifex (Vrbis non tã dñs, quã inquilinus) omni ditione carebat, ut ne sacellũ quidẽ unũ sine Imperatoris iussu edificare potuerit. Deinde Vrbẽ Romã diuturna barbarorũ incursione uexatam, et tandem Bellissarii, et Narsetis uirtute a tot calamitatibus ereptam, Imperatores, qui longissimo ab Italia tractu Bizãtii morabãtur, per Hexarchũ, id. n. erat magistratui nomẽ, q̃ rebus italicis præerat) aut legatos q̃ete trãquilleq; regebãt. Quoad Lotharius in Italiã ueniẽs magistratũ elegit, q̃ populo Ro. ius diceret. ex plebe aũt Decarchones duodecim creabant̃, q̃ uicẽ Senatus gerebãt. Et ne oĩum temporũ Ephemeridas contexã, nouissima cõplectar, anno salutis. M. ccc. xlvi. Romani sibi magistratũ cõstituerunt cõsulari ptãte, quẽ tribunũ uocabãt, quo tñ breui abrogato, et ob ciuiles discordias in exiliũ eiecto Senatorem elegerunt, qui uelut dictaturam in repub. exerceret. Sed eo quoque non longe postea,

e magiſtratu deturbato Septẽuiros creant cũ ſum ma poteſtate: quos Reformatores totius reipu. nominarũt, qui hodie pari q̃dem nomine, ſed diſpari poteſtate rebus Vrbanis præſunt. Anno autem

ccc M.D.lxv. Vrbis cuſtodiam, totiuſq; reipub. curã Bandareſiis, ideſt ſingularum uexilliferis curiarũ cõmiſerunt: hæc capita regionum in hũc uſq; diẽ uocant. Ex Pontificibus primus Bonifacius. ix. anno Domini. M.cccc. Vrbis Romæ dominatum ſibi uendicare tẽtauit, in cuius uita hæc ſcribit Platina. Bonifacius Vrbem ingreſſus munita mole Adriani mœnibus, et turribus dominatu urbis ſenſim potitus eſt. Quæ aũt ſcribit Platina, in eo lib. quem de uita, et moribus Pontificum edidit, uelut ſacroſancta, et ſybillinis foliis ueriora ſunt exiſtimanda, quippe cum ea ex publicis tabulis, et diplomatibus, aliiſq; legitimis documentis deprompſerit: In quibus res geſtæ Pontificum, eorũq; ſucceſſus, et progreſſiões, ut quiſq; domi foriſq; ſe habuerit, quo curſu nauiculã procellis nunc agitatã, nũc tranquillo pelago quietã duxerit, hiſtorica fide cõtinetur. At Romani indulgẽtia Imperatorũ libertati aſſueti eã e manibus ereptã ab Inno. vii. qui in Põtificatu ſucceſſit, prius blande appellando, deinde cum id parum ſuccederet, areptis armis uiolenter agendo, extorquere non omiſerunt. et ut idem ſcribit, capto Capitolio, occupatoque põte Miluio, arcem Adriani oppugnare conati ſunt

Paucis poſt annis, dum Cōſtantiæ concilium age
retur, mortuo Rege Ladiſlao contra Florentinos
proficiſcente Romæ ad arma, et libertatem accla-
matum eſt: Quod ipſum contigit pontificatu Eu
genii. iiii. in cuius uita hæc a Platina tradūtur. Ro
mani ad libertatē aſpirantes ſublato clamore, pul-
ſiſq; omnibus Eugenii magiſtratibus, nouos ipſi
magiſtratus crearunt. Quid illa, quæ ſub Nicolao
v. contigerunt? cuius manibus Federicus tuus Ca
role auguſte abauus paternus aurea corona īſigni
tus eſt: nōne in eius uita hęc ad uerbum leguntur?
Stephanus Porcatius uir maioris animi, quam po-
tentiæ multa liberādæ patriæ indicia præſeferens,
Bononiam a Pontifice relegatur, qui Romā aduo
cātibus cōiuratis propere rediit hac mente, ut cum
Vrbē attigiſſet ſumptis armis populum ad liberta
tem cōuocando Pōtificem, et Cardinales caperet.
Idē auſi ſunt Romani recēti memoria ſub Paulo
ii. in cuius uita uerba ſunt hęc. Nōnulli minas eius
contemnētes tēpus uendicandæ libertatis expecta
bant. Quod poſtea eo mortuo illuxit.

De munificentia, et benignitate Caroli Imp. ad
uerſus ſedem Apoſt. Italiamq; uniuerſam.

h Aec ideo minutatim collegi, ut uelut ex al
tiſſima quadā ſpecula, pulchrū et inauditū
uirtutis, clemētięq; ſpectaculū cuiq; oculis intuen
dū ſubiicerē. Carolū. v. ex Impatorib. Chriſtianis

primũ Vrbẽ Romã/una cũ Adriani mole portuq;
Hostiẽsi, et oppidis undiq; circũuicinis in potesta
rem redactã Sedi Apostolicæ habendã, fruendãq;
donasse. Fecisti Carole Auguste qđ futura posteri
tas magis miretur/q̃ imitetur: qui cũ Romanorũ
Rex sis, et appelleris: oẽm Romanæ Vrbis iurisdi
ctionẽ, a te abdicasti, illud pp uirtutem pro nihilo
ducens pro quo Imperatores reliqui tantopere di-
gladiari solebant. Quod si mihi facultas daretur
sermonis pro rerum dignitate figurãdi, q̃ exquisi-
to dicendi lepore, et uenustate in heroicis, et plane
diuinis tuis uirtutibus explicandis immorarer.
cũ non tam gloriosum duxeris Imperii fines ꝑpa
gare, q̃ pacem ab Italia iãpridem exulantẽ in pristi
nas sedes/quasi postliminio reuocare. Et cuius fuit
prudentiæ hostibus omnẽ nocẽdi facultatẽ aufer-
re, eius fuit hũanitatis, uictos, ac debellatos ab om-
ni iniuria/et clade releuare. Hic licuit si unq̃ alias
tuã pietatẽ/magnanimitatẽq; ĩtueri. Nemo fuit ex
eorũ numero, a quibus neq; diuino, neq; humano
more fuerat lacessitus/nõ modo aliqua pœna mul
ctatus: sed ne minima quidẽ ignominia ꝑstrictus:
nemo nec loco, nec gradu / nec ordine submotus:
manserunt cuiq; principatus fortunæq; oẽs ĩtegre
et illibate. Et q̃uis intelligeres, et quid rebus tuis
magis expediret, et qd tibi liceret/maluisti tñ opu-
lẽtissimis Ciuitatibus carere/q̃ pati: ut aliq̃d de tua
clementia pietateue desiderandũ uideretur. O tuã

Carole non tam uictoriā/q̃ clementiam predicandā/ex qua nescio, quid maius, q̃ ex uictoria es adeptus illa effecit/ut nemo tibi nocere possit, hæc ut nemo uelit. Qui rebus christianæ reip. ex aī sentētia compositis, et constitutis/dextro numine, felicibusq; auspiciis ad gloriosam illā, et pernecessariā aduersus turchas expeditionē rete accingis. Iāq; augurari mihi, licet futurum/ut abolitis ferrei sæculi reliquiis aurea illa ætas sub te breui renascat̃, isq; sit futurus Christianę reip status, ut cōtinuādę potius felicitatis, q̃ augendæ cupiditatis uota faciamus. Quæ felicitas an adhuc meæ debeatur ætati Deus ipse uiderit: hac certe spe interim fruar, quicquid Orbis terrarum patet, qua uox olim euangelica permearit, tuo magnanime Carole ductu/atq; auspiciis in Christianā ditionem concessurum.

Ioannes Baptista Phaellus Bononiēsis Bononiæ impressit. Anno Dñi. M. D. XXX. Mēse Februa.

ERRATA

Tuorum/tuarum/uideretur/ uidentur. c. ii. Cæsaris nostri, Cæsaribus nostris/narraui, nauaui. c. iii. Quo/quæ. c. v. iiii. i. q. iiii. q. iiii. c. fi. c. ix. expectat, experat/ esset, est. c. xv. insultabat, insultabant. c. quo remediū. c. quod pro remedio. c. xxiii. et Germanos/Germanos. c. xxiiii. nunq̃, unq̃/aliquid, aliquod. l. i. ff. de uerb. obli. l. a. Titio. c. xxxiii. noscere/nos scire. c. xxxiiii.

